












V. VI



LIBELLVS

DE VTILITATE ET HARMONIA ARtium tum futuro iurisconsulto, tum liberalium disciplinarum politiorisue literaturæ studiosis utilissimus, authore Nicolao Brõtio Duacensi.



μηδὲν γλυκέτερον ἢ πάντα εἰδέναι

Pone gule frenum tibi vel dabit ipsa venenum
Est tibi dampnosa in multis quisque gulosa

NOBILISSIMO ADOLESCENTI CHAROLO

Croio principi Chimaciensi S. N. B. D.



DE HIS BENE MERENdum esse nobilißime Princeps, qui nos prius beneficijs prouocarunt (nisi ingratitudinem omnium uitiorum teste Seneca parentem incurrere uelimus) aperte his uerbis monet Isocrates, ταῖς ἐυεργεσίαις νικᾶσθαι ἄισχιστον. Quãobrẽ cũ exploratißimum habeam, parẽtes, tum dño Ceruiano patruo tuo, tũ dño materno Philippo Principi Chimaciensi, multis noĩbus esse astrictissimos, ille enim patruo meo Antonio sub eodem tunc temporis militanti, patriq́; Iacobo dum iniquis fortunæ telis premerentur, iterum atq́; iterum operam suam apud Carolum Imperatorem non denegauit, nec Philippus inferiora in eosdem beneficia contulit, adeoq́; nostri nominis studiosus fuit, ut (quæ sua erat humanitas) auum paternũ Nicolaum Brontium suæ curiæ primoribus tam in rebus domesticis quam bellicis adnumerari uoluerit, posteaq́; eiusdem suffragijs summus prætor sancti Amādi pullensis designatus, alijsq́; honorificentißimis titulis decoratus est. Quocirca nõ adulandi studio, nec inanis gloriæ cupiditate, at ueluti æs alienum exoluere cupiens, hunc tibi qualemcunque libellum dico, nun-

cupoque, ſimul petens (ſi ita uideatur) me quoque nu-
mero tuorum adſcribere non graueris, etenim authore
eodem Iſocrate, πρέπει τοὺς παῖδας ὥσπερ τῆς οὐσί
ας οὕτω καὶ τῆς φιλίας πατρικῆς κληρονομεῖν. Ta-
me etſi fortuna terq; quaterq; ſuas uires expromes, ex
tinguere prorſus Brontiorum nomen niſa ſit, nec prius
ſæuire deſijt, quam opes (quæ ſuæ ſunt) adimeret. animi
tamen generoſitatem non abſtulit, ut uerum eſſe credā
fama generoſæ mentis ad tempus obſcurari poteſt. In
totum de hominum memoria deleri nequaquam. Haud
ſane ſcio quo fato fiat, ſed humilia petere non ſinit a-
nimus, pariaq; ſemper exiſtimaui non uiuere aut igno
bilem uitam ducere, maxime maioribus indignam, effi-
ciamq; Deo Opt. Max. fauente, ut quāuis non opibus
animi tamen uirtute, qua ſola homo æſtimandus uenit
aliqua ex parte parentibus reſpondeam, nec tui ſimili
um amicitia omnino indignus uidear. Tu interim ſere-
niſsime princeps, tuo fungaris officio, maiorum tuorum
humanitatem: prudentiam: gloriam: cæteraſq; uirtutes
ob oculos ponas, certareq; cum his audeas imo uincere
tenta, quanquam id adeo difficile, ut ſperare propemo
dum nefas ſit, Quanta dij boni domini Ceruiani gloria
Quanta prudentia: quāta authoritas cuius humeris to
tus fere Chriſtianorum orbis nitebatur, nec his mino-
ra deorum munera in auo tuo Philippo fuere, uiro, opu
lentiſsimo regno (ne dicam imperio) digniſsimo, quan-
ti nominis: quanti conſilij: quantæ authoritatis pater tu
us Dux Areſcotenſis: res notior quam dicto opus ſit,
iſq; opes præ cæteris Brabantiæ: Flandriæ: Hanno niæ
prin

principibus, amplissimas possidet, taceo relliquas horum principum animi corporisq; dotes, quas si ex ordine referre pergerem finem non inueniret oratio. Notum profecto super æthera illud altum Croiensium genus, ex clarissimis Galliæ principibus (ut fama est) ortum habens, Nil de te non sublime: non magnificum sperandū est, cui tantum fortuna dedit, ut uix plus dare potuisset Præter enim illam maiorum gloriam (qua nullum testamentum maius nec præclarius liberis relinqui potest) in tua manu quoq; dignitas authoritas & opes maiores quam unquam illis fuere, his omnibus formæ accedit gratia, quæ cum in alio quouis: tum in principe non parui facienda. Siquidem pulchrum corpus pulchri animi indicium est, & ad uirtutes capessendas magis idoneum. Propterea mirabiles rerum adumbratores poetæ ipsos deos fœlicissimos & beatissimos eosdem pulcherrimos finxere, alia præter hæc diuina plane munera natura largita est, quæ si recensere uelim, tempus me deficeret. Proinde tui muneris fuerit colendissime princeps totis (quod aiunt) neruis eniti, ne tātis naturæ dotibus, tanta maiorum gloria, indignum te præbeas, quanto enim illi præstantiores fuere, tanto degenerare fœdius fuerit. Quinimo si ueterum monumentis adhibenda fides sit, non magis liberi parentum filij dicendi sunt (nisi uirtute illis respondeant) quam pulices & feces nostri corporis pars, perindeq; est ac si mater natum abijciat, nisi probitate morum maiores referat. Equidem uberrima uirtutis materia suppeditata est, uide ne tute tibi defecisse uidearis, turpe est pictores pulcherrima quæq;

animalium depingere, & nos probos parentes minime imitari. Verum longe lateq; digreßi sumus, tempus postulat, ut ad rē redeamus: liber igitur iste, simulet quædam nostra uirtutum præcepta, animum tuum alioquin pulcherrimum, multo pulchriorem scientijs & uirtutibus reddere docebunt, quæ ueræ, solæq; sunt opes, nunquam intermorituram famam gignentes, hæ sunt quæ nos dijs hominibusq; gratißimos, quæ deo Opt. Max. simillimos ac proximos reddunt, quæ deniq; nos beare & mentem nostram solæ implere possunt, Atq; ob hæc tanta uirtutis emolumenta, nullo pacto committendum putaui, ut cum de omnibus artibus aliquid dixissem, extremum tanquam ab inerti poeta, uideretur a nobis esse relictum: rationemq; tanti planeq; diuini muneris uirtutis adipiscendæ, tradere negligerem. Frustra enim leges, frustra medicina, frustra Dialectica, & reliquæ artes si animus suo fine, nimirum uirtute fraudetur, itaq; humanißime princeps, ne quid tibi deesset ad bene beateq; uiuendum, præter illum de artibus libellum, alium quendam, qui methodus esset, & ueluti introductio ad sapientiam, scriptum, missumq; curauimus, te obnixe orans, atq; obsecrans, ut cum cœtera omnia, tū hæc præcepta creberrime legas, decies enim lecta, ac probe intellecta, incredibilem animo tuo uoluptatem adferent, nec non ad bonam mentem parandam, plurimum habere momenti experieris, Vale Charole optime, ac qualecunq; munusculum nostrorum laborum primitias, æqui boniq; consule, dedi quantum potui, daturus plura si potuissem.

PRAEFATIO IN HVNC LIBRVM.



VM mortalium uita, infinitis prope modũ malis obnoxia sit, συγγενὲς τι γάρ λυπηκαὶ βίος teste Plutarcho, natura quæ in necessarijs nunquam defi cit, certissima (aduersus hæc) præsidia, artes, exercitationesq; uirtutum excogitauit. Mecũ itaq; animo uoluente, quanam in re potissimum studiosis adolescentibus prodesse possem, non obtulit se utilior materia, quam ut de artibus aliquid in medium adferrẽ paucaq; de usu, atq; utilitate earum ex doctis uiris, qui ea de re scripserunt, colligerem. Etenim unaquaq; in re si fructum aliquem, ex ea, consequi cupimus, duo præcipue attendenda sunt, nimirum quid res ipsa sit, tum rei effectus, seu utilitas, quæ ad nos hinc emanare possit: Quem laborem eo lubentius suscepimus, quod ætati teneræ, & rerum adhuc imperitæ, utilissimum fore sperarem. Videmus enim plærosq; adolescentes, totum quadriennium liberalibus aut alijs artibus operam dedisse, nec quorsum disciplinarum præcepta spectent, aut quid sibi uelint, intelligunt, non alia sane de causa, quam quis sit peculiaris artium usus, aut quo loco adhibendæ non norunt, atq; ex hoc incommodo multo plura sequuntur. Cum enim sit quædam scientiarum Harmonia, seu concentus, nexusq; indissolubilis, istiusmodi hominibus in grauioribus studijs uersantibus accidit, ut illam opem quam adferunt tam liberales artes quã aliæ, non sentiant, ob idq; non raro, longa post tempo

ra,multosq; sudores, nihil solidæ eruditionis referunt, perpetuoq; ut in laberintho constituti, aberrant. Siquidem Philosophia, ad altiores disciplinas, instrumentum necessariū est, & ueluti præambulū quoddam, prærequisitum, propriumq; est illi cuiusuis scientiæ arcana, secretioraq; dicta reserare, ac alumnis suis, per loca spinosa & paucis perma, iter tutißimum demonstrare. Quamobrem exploratißimum esse arbitror, quanto quis in Philosophia, Musarumq; aditis, magis tritus ac uersatus fuerit, cæteris paribus, ea quæ in scientijs difficilioribus, à doctis uiris traduntur, melius, & rectius intellexerit, subtiliusq; cuncta rimabitur. Omitto quod experientia quotidie doceat, artium, bonarumq; literarū peritos, intra triennium aut quadriennium, in aliqua facultate, facile sui studij cursum absoluere posse, quod alijs scientiarum rudibus, totum decennium non euenit. Proinde studiosißimi adolescentes, si arcana altiorum disciplinarum depræhendere, si medullam euellere, si deniq; doctorum uirorum numero adscribi aliquando uelitis Philosophiam omnium scientiarum matrem, excolite, amate ueneramini, familiaremq; uobis reddite, mirum enim dictu, quantum uobis profuerit, uel à limine artes liberales salutasse, & quandam generalē rerum omnium cognitionem, ordinemq; in animo habere. Id sane incredibile de rebus iuditium parit, sine quo frustra in literis quidquam miseri homines tentamus, & (ut ingenue fatear) cum ob hanc non minimam utilitatem, tum propter alia non dicenda commoda, inductus sum, ut hunc libellum scriberem, qui Methodus es

set

ſet quædam & ueluti ratio, qua alacrius: fidelius & minori negotio, artes liberales, earum utilitate patefacta, iuuenes perdiſcere poſſent. Hunc autem ordinem ſequemur, primo artem quamuis in partes (ſi res ita poſtulet) ſecabimus, quæue ad quamq; peculiariter ſpectent, ne inter ſe artes confundamus, obiter indicabimus, deinde, quibus in rebus, ars quæuis uſui eſſe poßit, declarabitur, poſtremo Harmoniam eſſe artium, ſibiq; opem mutuam præſtare, pro ingenij noſtri modulo, oſtendere conabimur, per hoc enim magis ſe nobis manifeſtabũt & faciliores reddentur. Quamuis id poſtremum, nimirum artium eſſe Harmoniam nonnulli ſcioli impudenter inficiari non uerentur, quæ quidem opinio ſi (quod dij auertãt) oĩm mentem imbuiſſet, de literis breui actũ foret, uerũ ex his quæ poſtea ſuo dicẽtur loco, a ueritate prorſus eſſe alienam, clariſsime cõſtabit. Interim uos exoratos uelim, adoleſcentes optimi, ne prius ad altiora ſtudia aſpiretis, quam cum aliarum rerum cognitionem, tum maxime liberalium artium habeatis, alioquin dubio procul, oleum atq; operam, magna cum ignominia perdituri eſtis. Cæterum hæc dico, non quod in his pedem figere, & ueluti apud Syreneos ſcopulos conſeneſcere ſuadeam, præclara enim res Philoſophia ſi modus adhibeatur, ſin minus, oĩum rerum corruptela, & quemadmodum Gallus Phrigiæ fluuius, ſi modice bibas corporis morbis medetur, ita Philoſophiæ præcepta, ſi modice tangas proſunt, ſi te totum illis, ſtudio addixeris, ſanitatem mentis auferunt, & pietati nocent, ipſaq; philoſophia ſi penitus imbibatur, nos inanis gloriæ furore

rore præcipitat. Quocirca, mea quidē sententia, sic tractādæ liberales artes, ut nos ad altiora studia, tū fœliciter tradenda, tū syncere intelligēda, idoneos reddant, tutoq; pede in illis uersari faciant, ob id enim potissimū a doctis uiris conscriptæ esse uidentur. In hoc igitur præcipue studiū, in hoc labor uester reponatur, ut hanc artiū utilitatem, nostra methodo adiuti consequamini, atq; has grauioribus disciplinis tractandis, ad usus uestros ualeatis adiūgere. Quod si feceritis, spero futurum, ut nec me admonuisse, nec uos paruisse, pœniteat.



GRAMMATICA
Latina.

Quid ſine me tentas, ſapientis Palladis artes
    Nullum ex his fructum, ſtulta iuuenta, feres
Non conſtare putes, ſine paruis grandia poſſe
    Principio alta domus non beneſtructa, ruit

RAMMATICA, QVAE ars est emendate & dilucide loquendi, reliquarum artium unicum est fundamentum, siue de Hebraica, Graecanica, aut Latina loquamur, certissimum iter ad eas capessendas prebens, & ipsam ueluti uiam, qua eundum sit demonstrans, praeclara est Quintiliani sententia, ad nullius rei summum, nisi praecedentibus initijs, perueniri non posse. Quocirca ut infinito extructa sumptu aedificia, eo quod inualida, infirmaq; fundamenta iacta sint, ruere uidemus, eundem in modum, qui hac arte neglecta, in poetis, oratoribus, aut grauioribus disciplinis uersantur, nullum prorsus fructum, referent. Natura enim ita comparatum est, ut rerum scientia, citra uocum cognitionem, haberi neutiquam poßit, quandoquidem uoces rerum symbola sunt, uocibus itaq; non perspectis, in rerum, quarum uoces signa sunt & notae, iudicio, cecutiamus oportet, quantum abest, ut disciplinarum arcana, quibus quis traditus est, deprehendat unquam, qui ex Grammatica, Grammaticesue scriptoribus, precipue tamen ex Valla, uerborum proprietatem, aut significatus, non perdidicit, qui in legibus uerborum contextum, obseruare poterit quisquam? uel ut ab alijs intelligatur, efficere, citra Grammaticam, aut Grammatices praeceptorum notitiam. Quo pacto de iure consultus respondebit is? qui quod animo concepit, pure

& pro-

& proprie effari nesciat, tum quinam consultor eum qui consulit, intellexerit, cuius os, adeo barbarismis & solœcismis scatet, ut mirum si se ipsum intelligat. isne in publicis concionibus, furijs agitari uidebitur, qui multa quidem uerba profundat, uerum adeo obscura, ut uix sortes delphicæ obscuriora dixerint, ac Oedipo quodam, qui singula explicet opus sit. Isne rudere potius, quam loqui in alicuius sententiæ interpretatione existimabitur, qui sermonem uitijs plenum effundat, breuiter in sua arte quiuis frigebit, qui docendi munere fungitur, si aperta illa & emendata loquendi ratione, quam Grammatice docet, destitutus sit, Ridendus ueniet Orator, si uerba apte non cohæreant, Si numeris, aut generibus, perturbetur oratio. Intelligi minime poterit Theologus, si uerbis ignotis & a consuetudine bene loquendi alienis, docendo utatur. Quamobrem fugienda prorsus in sermone peregrinitas, phrasisque a Latina consuetudine abhorrens, & perspicuitas quæ in Oratione laudem summam meretur, amplectenda, dandaque est opera, ut latinarum dictionum nobis ingens adsit copia, tum in sermone nostro quædam sequentium ad precedentia cohærentia sit. Omnino enim oratio ueluti domus est, in qua ædificanda, operepretium est ligno congruo lapides aptos coniungere. Id autem nullo pacto fieri poterit, si artem quæ congrue & recte loqui docet, ignoremus, nec mentem nostram commode explicare poterimus, nisi proprijs & significantibus

uerbis

uerbis(quæ iuxta huius scientiæ præcepta coniungi & construi certa ratione debent)utamur,id obiter adolescentes admonitos uelim, grammaticam longe latius se se extendere,quam uulgo existimatur, nam præter cōgruum sermonem,Historiographorum,poetarum, Oratorum interpretationem, intra suum ambitum amplectitur,nec grammatici nomē merentur,qui hæc præstare minime possunt. Quemadmodum enim proprie ad Dialecticam,simplices dictiones explicare pertinet, ita integras ad grammaticam.Deinde quæ de Epithetis mire rerum naturam explicantibus,de situ,luce,Emphasiq; uerborū, dici possunt,Grammaticæ sunt speculationis.Huc figuras referas oportet,in quibus, maxime in metaphora,elegantiarum non minima pars sita est,summamq; præter uoluptatem quam habent metaphoræ,nos mirum in modum uiris doctis commendant & reuera citra elegantiam omnis doctrina cæca & illiberalis est. Videtis igitur studiosissimi adolescentes quanta huius scientiæ dignitas,quanta utilitas,quæ sola præ omni artium genere,plus operis quam ostentationis habet,& ad unum disciplinæ omnes , huius ope indigent,Cum nulla omnino sit,quæ emendate & proprie loquendi rationem,nō requirat, quamuis per hæc supraq; dicta omnia, istius artis Harmonia satis nota sit,lubet tamen in odium inficiantium , fusius & clarius demonstrare.Illud inprimis constat,præter sermonē congruum,quem omnibus artibus elargitur Grammatice,propositionum partes,quæ sunt nomen & uerbum

Dialecticæ subministrat. Item Rethorice, figuras a grã matico. quæ ob id excogitatæ sunt, ut (res picta quadam similitudine illustriores reddantur) emendicat. Vniuersa siquidẽ eloquendi scientia, in tribus, utpote sermone grammatico, figuris, & amplificationibus consistit. Tametsi interim grammatica, rationem definiendi, diuidendi, argumenta eliciendi, docendi, discendi, qua in oratorum, Poetarum, aliorumq; scriptorum enarratione, opus est, a disserendi facultate mutuetur: omnesq; aurium demulcendarum illecebras, ex Rethorum monumentis depromit. Quantum ad iurisconsultum attinet, id omnibus qui pandectarum libros euoluerint, exploratum arbitror, legum sermone nihil tersius, nihil politius, uel dici uel excogitari posse. Testis ualla in elegantiarum libris, cuius fere hæc uerba sunt, quanquam ad certam rem astricti iurisconsulti, eloquentiam non ferãt elegantiam tamen minime refugiunt. At uero cum tanta sit in legum ciuilium libris elegantia, & natiua sermonis proprietas, quinam obsecro iurisprudentiæ studio destinatus, omnis elegantiæ, omnis latinitatis ignarus, aut per se ad plenum leges intelligere, aut ut alij intelligant efficere poterit, si illius latini sermones nitorem, quo scriptæ sunt, non adamussim perspectum habeat. Haud dubie linguæ latinæ rudes, neq; ius ciuile, neq; aliud quoduis scribendi genus elegans, fideliter unquam tradituri, aut sincere intellecturi sunt. Nec mirum id uideri debet, nam & qui Gallice exacte sonare non potest, Gallorum scripta exacte interpretabitur

nunquam

nunquam, & qui Germanicam linguam non absolute callet, nec ea quæ a Germanis scripta sunt, absolute adsequetur. Adhæc Latini sermonis proprietatem iurisconsulto peculiarem esse debere, ipse Cicero affirmat, & quidem cum alia multa, tum hoc commodum linguæ latinæ cognitio adfert, ut qui ea imbutus est, sincerius, fidelius, fœlicius, iura doceat. Nec idem Cicero Catonẽ iurisperitißimum, in dicendo præstantißimũ fuisse scripsisset, si nihil momenti Latinæ linguæ scientia, iurisprudentiæ adferret. Omitto quod in iure creberrimæ uocum Ethimologiæ enodantur, & Argumenta sæpius inde ducuntur, Aliud tamen non est Ethimologia, quam Grammatica uocum expositio, in lege. 2. ff. si cerpe. mutuum inquit iurisconsultus, dicitur, quia de meo tuum fit, sic testamentum, quasi testatio mentis appellatur, alia id genus exempla nusquam non in legibus obuia esse possunt. Postremo addendum putaui, in titulo de rerum & uerborum significatione, nihil aliud quã uocum significatus explicantur, qui ex Grammatica, aut saltem Grammatices scriptoribus, siue (ut alij malunt) ex Dialectica petuntur. Atq; per hæc facile quis intelligit, nisi plane amens sit, uel Morico illo Lucianico stupidior, Grammatices ad reliquas disciplinas Harmoniam esse, opemq; illis prestare, quemadmodum aliũde emendicat. Obijciet nobis fortaßis quispiam Bartolum Baldum & alios plerosq; Latinitatis rudes, prestantißimos iurisconsultos fuisse, cui responsum sit, id aut ingenij incredibili dexteritati, aut labori indefatigabili

gabili tribuendum esse, qui (ut inquit Poeta) omnia uincit, ita legum difficultatem, facile expugnat, certo tamen certius est, multo fœlicius, multoq; minori labore, fœlicißima illa ingenia, legum adita, recludere potuisse, si naturæ fœlicitati, linguæ latinæ peritia accesßisset nullusq; interim inficiabitur, persæpe eos, ut in Prouerbio est, in sole caligasse, nec raro propter linguæ Latinæ ignorationem, turpiter hallucinatos & Lapsos esse.



DE LINGVA
Græca.

Si cupis arcanum linguæ penetrare Latinæ
Scribere, uel recto uerba ſonare, modo
Artem ſiue iuuet, recte cognoſcere quamuis
Huc ades, iſta ſuis, pagina Græca dabit.



ANTVS est Hebraicæ & linguæ Græcanicæ usus, tanta utilitas, ut hac de re aliquid dicere pudeat, quod tamen sentio (licet non admodum in his uersatus sim) in medium adferam, quo iuuenes ad eas perdiscendas alacriores reddã. Merito de Hebraica prius agendum esset, quæ & antiquitate & authoris nobilitate, reliquis antecellit, cum tamen iam de Latina actum sit, cui Græca uicinior, de hac ordine congruo tractabimus. Atqui tam late lingua Græca suas uires explicat, ut non solum huic, aut illi arti, opituletur, uerumetiam omni artium generi, uberrime suam opem elargiatur, Cui rei, ut fidem faciamus, per singula artium genera discurrendum erit, & primo à Grammatica Latina auspicandum, quam quis non uidet, multarum uocum inopia laborare, quas a Græcis mutuari & figurarum non paucarum nomina Græce exprimere cogitur, adeo enim fœlices in componendis dictionibus illi, ut ipsis nudis & simplicibus uocibus Græcanicis, rerum proprietas insigniatur. Quantum uero Græcis dicendi ars debeat, res notior quam declaratione aliqua egeat, Etenim ab illo hominum genere, omnis rerum copia, dicendiue sylua proficiscitur, unde de Cicerone legitur, cum se ad Græcorum lectionem contulisset, expreßit eloquentiam Platonis, uim Demosthenis, iocunditatem Isocratis. Adhæc Dialecticæ

& ipsæ Mathematicæ disciplinæ, græcis tum quod sint tum quod cultæ & ornatæ, debent, Omnes enim ad unum artes, ab illa gente, (ueluti quodam fonte) promanarunt, quocirca non parum metuendum est, ne si grex auium Græcanicarum, suas plumas aliquando reposcat nudi & inermes relinquamur. Nec quod suum iure uendicent, Latini habeant: quæ cum ita sint, compertißimum esse arbitror, nullam liberalium artium exacte cognosci posse, citra Grææ linguæ cognitionem, ad ueritatem enim habendam, natiuo rem loco uidisse, & quo scripta est sermone, plurimum habere momenti minime ambigitur. Siquidem non temere fideles interpretes aut typographos reperias, hæc res Sophistis animum torquendi ac discruciandi, tum disputationibus, tum quæstionibus uarijs materiam præbuit, quandoquidem in Aristotele Latino, innumeri loci deprauati sunt, quorũ Germanus intellectus habebitur nunquam, nisi impreßio Græca consulatur, quam fidelius Grææ quam Latinæ, ab Aristotele, liberales tradãtur artes, uel hi qui hanc a limine linguam duntaxat salutarunt, facile intelligere poßunt. Proinde ut habet uersiculus, multum crede mihi refert quo fonte bibatur. Qui fluit, an pigro quæ manet unda, lacu. Nec solum ob id, quód purior aqua e fontibus, quam riuulis hauriatur, uerumetiam quod in loquendo, scribendo, carmina faciendo, turpißime nos labi contingit, dum uoces quæ a Græcis ad nos profluxere (quarum ingens est turba) uocali ne breui an longa, Græce scribantur ignoramus, si enim longa, La

ga, Latinis producantur necesse est, uerbi gratia hæ uoces fama & mater eo quod priore syllaba, per η Græce, scribantur, propterea Latinis extendantur oportet, istiusmodi infinita exempla reperias. In non minorem errorem Græce imperiti in scribendis dyphtongis incidere possunt, quod lippis tonsoribusq; notum est. Quamobrem si quis recte loqui: scribere: uersus condere cupit, hanc linguam discat oportet, at uero non solum liberalibus artibus lingua Græca perutilis est, uerum & altiores disciplinæ, huius artis ope creberrime indigent, Cum enim Græce plurima sancti uiri scripsere, quæ fidei nostræ plurimum roboris & ornamenti adiungere possunt. Summa illa Philosophia, (quam Theologiam uocant) in multis sacræ scripturæ locis huius linguæ auxilium implorare cogitur, Medicina omnium morborum nomina, a Græcis mutuata est, iurisprudentiæ, si æqui iudices esse uelimus, lancemq; æquo libramine appendere, non solum frugiferam, sed propemodum necessariam linguam Græcam fatebimur. Principio enim inficiari nemo potest, bonam legum Ciuilium partem, quas in Pandectis habemus, e Græcorum Platonis, Demosthenis, Aristotelis, Homeri denique Libris collectam. Porro cum aliarum originem nosse rerum, earundem uberiorem intellectum præbet, ita & legum, (ex quibus fontibus promanarunt,) probe penitusque perspectum habere, synceriorem & ueriorem intellectum dabit. Rursum cum in Pandectis plæræque leges haud integræ reperiantur,

 ibi profe

ibi profecto diuinandum erit, id quod subinde in studio Accursius habet, si non ipsos authores, e quibus leges deprompta sunt, legerimus, aut intelligere non possimus. Dubio procul, uidisse legem in suo natiuo loco, maxime cuius dimidiatam tantum partem habemus, multum opis ad legis intellectum suppeditat, uerbi gratia, definitur lex a iurisconsulto, in l.1.ff.de.ll. quid sibi tñ uelit ibidem legis finitio, multo fidelius & rectius qui Demosthenem uiderit, (unde transumpta est) intelliget, ubi longe fusius & plenius explicatur, adhæc huius linguæ cognitio profuerit, ut quis suis oculis, quibus, plus fidei quam alterius debetur, istiusmodi loca manca collustret, taceo quod in ultimos codicis libros legũ studiosus incidere põt, ubi innumeræ uoces Græcanicæ reperiuntur, quarum origine & natura cognita, multi iuris articuli fœlicißime enucleantur, qui se ex illis locis explicet linguæ Græcæ rudis, non satis adsequor, quo pacto enim legem recte quis intelliget, si non uerba (quibus lex utitur) capiat, maxime cum ut supra dictum est, uoces rerum symbola sint, & in earum cognitionẽ nos inducant, proinde non intellectis uocibus in cognitione rerum, per uoces significatarum, hallucinemur oportet, eam ob causam tam accurate iurisconsultus, tum Latina, tum Græca uocabula, in libro de legatis . iij . interpretatur, Haud dubie non raro accidere potest, propter unam aut alteram Græcam uocem exulantem, totũ legis sensum ανω και κατω misceri, cui rei fidem faciunt plurimæ.ll. alioquin corruptæ, & quarum usus no-

bis

bis perijsset, nisi a Budeo Alciato, uiris undequaq; doctißimis, Græcæ linguæ beneficio, restitutæ essent, Postremo non pauca sunt uocabula, quibus forensibus in negotijs utendum quotidie nobis est, quæ iuris studiosus citra Grecæ linguæ cognitionem uix intelligere poterit. Istiusmodi sunt bona paraphernalia, hypothecata, chirographum, apocha, anthapocha, & cætera generis eiusdem, quocirca linguam Græcam iurisconsultis summopere esse utilē (ne dicā necessariam) liquido constat, taceo quod in institutionibus Græcis multo fusius & fœlicius cuncta Græce quam Latine tradantur, Nec paucos sane articulos in Latina impreßione nubibus plenos reperire est, quos in Græca, luce pomeridiana clariores experiemur. Tum nodi permulti alioquin inexplicabiles in institutionibus Romanis paßim occurrunt, qui fœlicißime Græcarum ope dissoluuntur, quēadmodum omnibus qui has legerint, compertißimum esse arbitror, adeo ut huic genti proprium dicas, nihil indiscussum, nihil inuolutum, nihil intentatum relinquere, uerum absolutißime quiduis, quantumuis intricatum enodare, id Græcis prestitit (nisi coniectura fallor) ingenij dexteritas, quæ propter aeris temperiem, præ cæteris nationibus maxima in eis reperta est, quo fit ut non dubitem, ubi opinionum pelagus in iure occurrerit, aut doctorum pertinax digladiatio, uel incerta responsio, opinionem Græcorum, tanquam uerißimam sequi, presertim cum constet olim eos, ueterum iurisconsultorum uolumina, unde pandectæ compilatæ sunt, quemadmo-

dum per manus a præceptoribus acceperant, in linguā suam transtulisse, ubi nō dubium, ut in cæteris omnibus diligentißime Græcos laborasse. Age itaq; legum studiose, tanta tecum commoda animo reuoluens, summo conamine & studio indefatigabili, hanc linguam tibi arripe & familiarem redde, nec te moueat quorundam delira prorsus opinio, qui impudenter asseuerare non uerentur, nil omnino opis iurisprudentie adiungere. Id enim eo pertinacius asserunt, ut suæ ignauiæ socios habeant, aut quod hos ignorare pudet, quæ ad suæ artis consummationem faciunt, bonumq; quod assequi posse desperant, alijs inuident, deinde falso eos putare, supra a nobis dicta, clarißime demonstrant, quibus accedat, quod Iustinianus, in exordio statim pandectarum, linguas, tam Latinam quam Græcam, æternas esse optat, quod absq; dubio minime fecisset, si non frugiferā quoq; Græcam linguam iurisconsulto perpendisset, nec Clementina prior de mag. quibusdā magistris stipendia cōstitui uoluisset, qui linguas peregrinas perdocerent. Si nihil adminiculi mortalibus adferrent.



DE LINGVA
Hebraica.

Si lubeat propius, diuina arcana tueri,
Nosseq; scripturæ dogmata sancta sacræ
Primaq; cunctarum scrutari exordia rerum
Huc propera, ista suis, pagina sacra dabit



INGVA Hæbraica, ſeu (ſacrum ut uocant eloquium) merito & antiquitate & authoris nobilitate cæteris antecellit, quidquid enim eſt induſtriæ neceſſariæ ad uitam mortalium inſtituendam, quidquid humanitatis & ueræ elegantiæ: a noſtris parentibus Hæbræis in cœteras nationes diriuatum eſt, cum eam gentem deũ ipſum ad omnem humanitatem & uerum cultum inſtituiſſe, ſacra teſtentur uolumina, deinde initio creationis mundi, omnes homines hac lingua uſos fuiſſe conſtat, antequam turris Babilonica extrueretur, ibi enim linguæ omnipotentis nutu & prouidentia ſumma, confuſæ ſunt, ab eaq; confuſione turris nomen accepit, ut nomen ipſum Hæbraicum indicat, quæ res ſat ſummam huius linguæ utilitatẽ loquitur. Licet enim fere omnia Hæbraicæ ſcripta Latinitate donata ſint, nihilominus quemadmodum eadem herba in alienam regionem trãſlata, non paris uirtutis eſt aut efficaciæ, ita cuilibet idiomati proprium eſt, ut in aliud tranſiens, haud queat per omnia, indolem natiuam, uim ac proprietatem retinere, quam Theologis frugifera ſit Hæbraicæ linguæ cognitio, uel ex eo patet, quod plerumq; cum uarijs interpretationibus digladiandum eſt, cum interim ipſum ſimplex Hæbraicum uocaculum controuerſiam diſcuti

at omnem,

at omnem ueritatemq; fœlicissime aperiat. Sicuti enim linguæ Græcæ in componendis dictionibus suam dexteritatem inesse diximus, ita in plurimis uocibus sua hebraicæ linguæ gratia data est. Quid futurum est, si in Biblia incidat sacri eloquij ignarus. prorsus ignoro, ubi innumera uocabula offendet, quorum cognitio ab hac lingua omnino dependet, profecto turpiter, ineptiendum erit, quod familiare est nostris sacerdotibus, ubi uoces illæ Hebraicæ inter legendum sese offerent. Quamuis non unum iota præterire iubeantur, uerbi gratia, alleluia & osanna omnes legunt, cum secundũ ueritatem Hebraicam חללויה .i. Laudate Deum, & חשאנא .i. Salua quæso dicẽdum sit, Similia his propemodum infinita, paßim in sacris literis occurrere possunt. Quocirca sacrum eloquium Theologis prorsus esse necessarium plusquam manifestũ est. Deinde lingua Hæbraica, hoc nomine omni laude dignißima est, quod non ut cæteræ, fabularum lenocinijs, pestiferisq; nugis animi uigorem prosternentibus, utatur, uerum ubiq; seria ueritas quadam cum salutari grauitate blanditur. Quinimo ipsis characteribus uim quandam inesse pietatis effectiuam, bona fide eam tractantes experientur. Taceo quod summi dei maiestas celsitudoue uberiorem & admirandam magis quam in aliis idiomatibus sese ostendit, quemadmodum enim ipse trinus est & unus, ita omne uocabulum Hebraicum saltem perfectum, tribus duntaxat literis constat, rursus cum lingua Græca infinitis propemodum temporibus egeat,

tri-

tribus lingua Hebraica quiduis cõmodißime explicat atq; eloquitur. Proinde si quis uberiorem cũ diuina sapientia familiaritatem, querat, hanc amet: hanc discat: hãc exosculetur necesse est, & ut semel dicendi finem faciam si quis antiquitatis studiosus sit, si plurima tam Græca quam Latina uocabula unde oriantur scire cupiat, si deniq; rerum omnium uberrimam cognitionem desyderet, ab hac lingua, tanquam reliquarum omnium fonte, hauriat oportet, ut non solum artium, sed & linguarum Harmoniam esse, merito dicas.

¿?¿



DIALECTICA.

Noſcere ſi cupias, doctorum ſcripta uirorum
  Huc ades, hanc artem diſce, colaſq; puer
Hac duce tu poteris, cunctas fœliciter artes
  Tractare & tumidum tutus inire fretum.

HILOSOPHIA quam docti studium sapientiæ uocăt, quam Marcus Tullius inuentum deorum, Plato donũ quo dono, ut eiusdem uerbis utar, nihil unquam maius mortalibus datum est, nec dabitur unquam, regina cunctarum artium appellata est. Hæc enim est uitæ lux uirtutum indagatrix uitiorum expultrix, animorum medicina, lumen legum, magistra morũ, rerũ elemẽtariarũ exploratrix, mũdi cœli q; contemplatrix, sublimia quædam inuestigans (& ut inquit Platonicus Apuleius), in extimo mundiq; tergo degit, Hac duce homines dijs proximi, imo dij quidam terreni efficiuntur, atqui in tres partes Philosophia secatur, in naturæ obscuritatem in disserendi subtilitatẽ in uitam atq; mores. Prima est Phijsica, altera Logica, tertia Ethica appellatur, de alijs suo loco nunc de disserendi facultate agamus, quæ iure secundum sibi locum uendicat. Tres enim sunt artes, quæ dictionem hoc est orationem informant. Grammatica, Dialectica, & Rethorica. Porro hic ordo naturæ imprimisq; necessarium est, ut simpliciter ac nudo sermone id quod animo concepimus exprimatur. Deinde id certo ordine disponamus, deniq; inuenta ac disposita uerborum splendore decoremus. Primũ e Grammatica, in qua simpliciter & dilucide loquendi ratio traditur. Petendum, secundũ Dialectica docet, quæ ars est distincte ac certo quodam ordine disponendi iudicium adhibens, tertium Rethoricæ

thoricæ proprium eſt quæ orationis phaleras,cultum & omnes demulcendarum aurium illecebras perdocet, at uero tantus eſt Dialecticæ uſus tãta utilitas,ut prorſus dubitem unde fandi exordia ſumam, ſecuti tamen doctrinam Philoſophi (ne ex ignotis procedamus) a definitione exordiemur,utilitatem enim aliquam ex Dialectica decerpere non poſſumus,niſi quid ipſa ſit cognouerimus.Varij uarie definiũt,Plato a quo diſciplinarum omnium preſtantiſſima appellata eſt,eo quod ſola doceat quid uerum,quid falſum,unaquaq; in re perſpicere,artem eſſe definit,per quam probamus & improbamus,Alij definiendi,diuidendi,& argumentandi ſcientiam uocant,nonnulli ἐνκυκλοπαιδυάρ .i.Circulũ quendam omnium diſciplinarum in quo reliquæ artes perficiuntur,Cicero diſſerendi rationem,quod aliud nihil eſt,quam ordine diſtincteq; docendi ſcientiam, nec inepte inſtrumentum quoddam dixeris, reliquis diſciplinis explicandis aptum & idoneum,ut artis uſus demonſtretur,ſiquidem intelligendorum authorũ & cauſarũ modũ & rõnẽ facilẽ Dialectica tradit,nec in leuibus nec in arduis negocijs argumenta quis deprehendet unquã, niſi Dialecticæ peritus,qñcũq; igitur,aliud ex alio colligitur & probatur in quauis arte,an id recte fiat Dialectica docet.Item dijudicare quomodo omnia quæ in controuerſia poſita ſint, conſentiant, quæ qui non adſequuntur,recte iudicium ferre,de negocijs & ſententijs paulo obſcurioribus nequeunt, multis in ore eſt religionis nomen,at ſi interroges quid ſit, alius

aliud

aliud respondebit, Dialecticus uero ad suos locos confugiet, & ex his inquiret, quæ res sit, quæ sint eius causæ, ubi sita sit, in animæ affectubus, an in ritibus, dum hunc in modum res ad Dialecticam rationem exigitur, natura eius penitus perspicitur, Secatur aũt Dialectica in τοπικην & κριτικην seu inuentiuam & iudicatiuam. Inuentiua est quæ inueniendi argumenti rationē docet, ad probandum, id quod intendimus, nimirum propositionem aliquam uel thema, quod conclusionem appellamus. Omnis enim argumentatio tanquam ad scopum, eo dirigēda est, ut institutam propositionem probet, & eam certiorem reddat, uerbi gratia, de hac propositione ambigitur. Rex Galliæ mortuus est, mox oritur hæc quæstio, qui id resciscatur, respondet quispiam ita fama est, & hoc erit medium, siue uerũ, siue falsum, uel istud esse poterit. Recepi literas a Rege Angliæ, sic q; argumentari licebit. Nihil a Rege in forma literarũ accipitur, quin illud sit uerum. Sed ego recepi a rege Angliæ illum esse mortuum, ergo est uerum. Similiter si istud probare uelis, Ciuitas Louaniensis bene regitur, aliquod tibi excogitandum erit medium, cõmode istud Quidquid regitur consilio bene regitur, Ciuitas Louaniensis regitur consilio, habet enim rectorem suum, conseruatorem, senatum, ergo bene regitur. Hoc tamen medium, aut aliud quoduis, (si confiteremur) non hac arte uerum usu & lectione authorũ perdiscitur, An aũt medium necessarium sit recteue inferatur conclusio, altera pars Dialectica (quam iudicatiuam uocant) adhibenda est,

est,quæ quo pacto argumentũ confirmetur,seu per quẽ locum corroboretur,inuestigabit,hoc obiter notandum quod ipsum medium est ueluti bitumen, seu quædã prædicati & subiecti conglutinatio, aut si mauis probandi modus,extrema,predicatum & subiectum inter se conuenire,posseq; sibijnuicem attribui. Subiectum est quod Grammatici suppositum,seu substantiuum appellant. Predicatum idem quod adiectiuũ apud eosdẽ, seu quod alteri adijcitur,& conuenire denotatur. Sub illa autem Dialectices parte,quæ inuentiua nuncupatur,omnia inueniendi instrumenta continentur, quæ locos Dialecticos tam ἀτέχνους,quam ἐντέχνους,uocant. Huc quoq; definiendi diuidẽdi rationes pertinent. Ad κριτικὴν quæ modum iudicandi docet,omnia ea quæ in prædicamentorum,περὶ ἑρμηνείας,& alia quædam ex Aristotelis Priorum & posteriorum libris,decerpenda,referũtur. Operepretium autem fuerit adolescentes admonere,ut Zeno tradidit, Dialecticam manui in manum cõpressæ Rethoricam explicatæ similem esse, tantaq; harum artium affinitas est,ut altera sine altera recte tradi nequeat,adeo ut nonnulli inueniendi ac disponendi rationem,utriq; arti communem esse affirment.Siquidẽ Dialecticus inueniendorum argumentorum locos, quibus uti solent Rhetores,tradit, uerum hoc interesse arbitrantur,quod Dialectica,res nudas proponit,Rethorica elocutionem quasi uestitum adiungit, Dialecticus breuiter causam complectitur,& tanquam extremas lineas ducit. Orator cultum addens,res paucis uerbis cõ

 prehensas

prehensas pluribus illustriores reddit, & ueluti suam formam dat, propiusq; rei causam de qua disseritur, oculis nostris admouet, non aliter atq; uiui colores in pictura rem uerius, quam umbra extremis circumducta, representant, quamobrem perplexis in negotijs nec causæ statum quispiam, nec quæ obiter adiecit Rethor, nisi Dialecticæ peritus, deprehendere nequaquam poterit. Etenim Dialecticæ proprium est, ex longa oratione argumenti summam excerpere, & ipsa ornamenta detrahere, ut intueri propius rem ipsam nudam liceat, & recte cohæreant omnia expendere, quemadmodum in Miloniana accusatione hoc syllogismo usus est Cicero, Vim ui repellere licet, Milo a capite suo uim depulit, ergo Clodium iure occidit. Tũ enim demũ quæ ibi dicuntur inspici recte possunt, cum principalia argumenti membra, contemplari nuda exhibentur, & in syllogisticam formam redacta sunt, quod non solum in illa uerũ in quauis oratione fieri potest, quinimo uel integræ cõciones ad unicum syllogismum, a Dialecticæ perito, facile reduci possent, In illa autem oratione aut simili, aduertendum est, quopacto eam Rethor pluribus uerbis artificio ornet, quo in audientium animos altius infigat alioqui res tam procul ostensa, non satis intelligetur. Porro colores illos ac gemmas Dialecticus detrahit, ut expendere ualeat, num inter se cohæreant omnia. Nouit (inquit Cicero) Dialecticus, ubi consistendum sit, & cuiuscunq; controuersiæ statum, siue summam deprehẽdere, & in explicando quæ uia, quis portus petendus

ſit,neq; uero in longa oratione tantũ propoſitio queri-
tur,in qua rei ſumma uertitur,ſed ſingulæ argumenta-
tiones reſoluendæ ueniũt, donec earũ membra, nimirũ
propoſitiones deprehenderis,alioqui de ſyllogiſmo lõ-
giore iudicari nõ poterit,niſi nuda eius mẽbra cõiũgã-
tur,& cõiũcta introſpiciãtur,eã ob cauſam Ariſtoteles
ἀναλυτικά, ſuos libros inſcripſit, ꝙ argumẽta reſol-
uere & de eiſdẽ iudicare doceãt. Hac de re exẽplũ ſu-
mi põt,in poſteriore orationis parte Demoſthenis περὶ
στεφάνου,quæ tota in hoc ſyllogiſmo cõſiſtit, in publi-
cis cauſis uel cũ periculo cõſilia ſequenda ſunt, Demo-
ſthenis cõſilia,quãuis periculoſa,cõſilia fuere, ergo De
moſthenes neutiq̃ reprehẽdẽdus,ubi hoc mõ lõge illius
orõnis mẽbra oculis ſubiecta fuerit,de cauſis faciliusiu
dicari poterit,Nõ tñ in orõe,oĩa ad Dial.præcepta exi
gi dñt,uerũ artis proculdubio ẽ,argumẽta qbusunaq̃ꝙ
cauſa nititur,intueri, et deprehẽdere,tũ hæc qdẽ depre
hẽſa,ad ſyllogiſticã formã adſtrĩgẽda ueniũt, ab orato
re tãta diligẽtia nequaq̃ exigitur.Id ꝙ Quinti.alicubi
monuiſſe uidetur,cuius uerba qaDial.uſum & quatenus
ea utẽdũ ſit,demõſtrãt,ſaliẽ præcipua,nõ inutile fuerit
adſcribere,ut diſcere uolẽtibus ĩ prõptu ſint,nã ego ĩqt
Quin.ĩ orõe ſyllõ uti nefas nõ duxerim,cõſtare tota ac
certe cõſertã ẽẽ,aggreſſionũ, ac enthymematũ ſtipatio
ne,minime uelĩ,Dyalogis.n. atq; dialeċticisdiſputatiõi
buserit ſimilior,q̃ nrĩ opisaċtiõibus(q̃ qdẽ plurimũ iter
ſe drñt) nãq; hoĩs illi doċti et inter doċtos uerũ q̃rẽtes,
minutiuset ſcrupuloſiusſcrutãtur oĩa,et ad loquẽdũ pdu

qui sibi & inueniendi & iudicandi artes adsumunt, quarum alteram τοπικὴν, alteram κριτικὴν uocant, nobis ad aliorum iudicia, oratio comprimenda est, & apud imperitos atq; aliarum certe ignaros literarum, loquendum est, quos nisi delectatione allicimus & uiribus trahimus, & nonnũquam exturbemus affectubus, ista quæ uera sunt & iusta tenere non possumus, locuples ac speciosa uult esse eloquentia, quorum nihil consequimur, si ex conclusionibus certis ac crebris & in unam propemodum formam cadentibus, concisa sit, & contemptũ ex humilitate & odium ex quadam seruitute, & ex copia satietatem & ex amplitudine fastidium tulerit, feratur igitur non semitis non campis non ut fontes in portis fistulis colliguntur, sed ut latißimus amnis, totis uallibus, fluat, & sibi uiam si quando non acceperit faciat, hactenus ille. Itaq; cum quotidie usu ueniat ut in omni fere hominum congressu, de rei alicuius natura, causis ac partibus dubitari soleat, doceri autem at explicari absq; huius scientiæ adminiculo, (quæ docendi magistra est) nihil recte poßit, ad Dialecticam tanquã ad sacram ancoram confugiendum erit, quæ definitionum & diuisionum formas tradit, ut recte de omni causa disserere idq; ordine discamus, uerbi gratia, hoc proposito themate, uirtutem esse amplectendam, ubi definiueris quid sit uirtus quam uariæ eius species, quæ causa quid uirtuti contrarium, tum totam rei naturam collustraueris ac comprehendisse uideberis, rursum hoc proposito themate, Dialecticam esse necessariam ex de

finitis

finitionis partibus id colligere, demũ uti Dialectica est, deinde obseruare in oratione rei summam, quibus argumentis, quibus schematibus explicata sit, itaq; circa omnium negociorum quæstiones, de quibus docendi sunt homines, Dialectica uersatur. Vt si de uirtute aliquis docere susceperit, rationem Dialectica qua id commode fieri poßit, ostendit, resq; ipsa si eam sequamur, ueluti oculis contemplanda exhibebitur, quæ alioqui probe patefieri non poterat. Superest ut de usu aliquarum Dialectices partium aliquid dicamus. Gradus quosdam Dialectici prudentißime constituerunt, quibus communia uocabula ab angustioribus separarent, ut rem unamquamq; suis coloribus depingerent. Infœliciter enim docent, qui uerbis in definiendo non satis aptis & naturam rei totam non explicantibus utuntur, ut cum definiunt hominem esse animal bipes, nam sunt & Gallinæ bipedes. Sunt autem hi gradus, Genus, Species, differentia. Proprium & accidens, quæ alias uniuersalia id est communia quædam nomina, seu predicabilia uocantur, aut uoces quædam quæ alijs explicandis tribuuntur, ut si dicas uirtus est habitus, Habitus ibi alterius uocis naturam exponens, predicari de ea dicitur. Verum enimuero longe latius sese prædicabilium usus effundit, quam nonnulli autumant, solum ad definitionum aßignationem inuenta esse existimantes, cum non minus ad copiam pertinere ueritati consonum sit, & in amplificationibus prorsus necessaria sint. Vt si dicas inter omnia quæ benignitas tribuit diuina, nihil melius substantia,

secundum substantiam accidente, inter accidentia precipuum locum qualitas uendicat. Rursus inter has precipuæ sunt, quæ in intellectu consistunt, seu uoces quibus Grammatica constat. Istiusmodi exempla a Dialecticæ perito infinita formari possent, Predicamentum autem est ordo generum & specierũ quæ ex illis uelu ti nascuntur, & in lucem producuntur. Cum enim docti uiri naturam abhorrere confusionem animaduerterent, confusam rerum congeriem in debitam consonantiam redigere studuerunt, resq; omnes & uocabula in quosdam ordines distribuere. Accidentia a substantijs seiungentes, classes quasdam rerum fecerunt. Vt uniuersæ naturæ ordo in animo concipi posset, & quacunq; de re dicturis in promptu definitiones essent, minimoq; negocio quæ uox cui tribuatur cernere daretur, tum quid singulis rebus cognatum, quid alienum foret, ac ueluti cuiq; uocabulo certũ constitutũ est domicilium ut uniuscuiusq; uocis natura, facile discerni posit, & eiusdem definitio ex suo ordine tanquam ex sua ciuitate peteretur, & quemadmodum Rethores locos quosdam communes habent, ut plurimarum rerum series, ad manum sit, ita Dialectici multo diligentiores quæcũq; sub cœlo sita sunt, ordine comprehendi posse ostendunt, quasi predicamenta loci quoq; sint, sed plura quã Rethorum complectantur. Hic obiter adolescentes monitos uelim, secundum eam significationem quæ maxime propria est, in sua classe unamquamq; uocem reponi Propterea Aristoteles post predicamentorum descriptionẽ,

tionem, uocum quarundam expoſitionem ſubiecit, Vt in predicamentis diligenter Amphibologias eſſe uitandas moneret, eſt igitur Predicamentorum utilis cognitio ad definitionum aſſignationes, & ad ea ueluti ad penu unde definiendi materiam promas, recurrendum eſt, Item ad theſes hypotheſes tractandas, Nec non inquirendas rerum cauſſas, de qua utilitate in topicis agitur. Tum in hoc Prædicamenta frugifera ſunt, ut uniuerſæ naturæ ordo in animo concipi poſſet, Præterea ad amplificationes non parum momenti habere creduntur, ut ſupra tetigimus. Et quemadmodum prædicabilium ita prædicamentorum uberior uſus eſt, quã plærique Dialecticæ imperiti exiſtimant, relationis enim prædicamentum ſolis uocibus proprie relationem ſignificantibus accommodant, cum tamen non minus ibi reponendæ illæ uoces ueniant, quæ ad aliud quandam conſequentiam habent, cuiuſmodi ſunt præditus, poſſeſſor, & id genus aliæ, quæ ſenſum imperfectum in animo audientium (ſi per ſe conſiderentur) relinquunt. Si enim aliquem præditum aut poſſeſſorem dicas, auditorem ſuſpenſum tenes, niſi qua re præditus ſit aut cuius rei poſſeſſor addas. Recte enim infertur præditus eſt ergo aliqua re præditus, poſſeſſor eſt ergo alicuius rei poſſeſſor. Omitto quod uulgus prædicamenta ubi & quando propemodum inutilia exiſtimat, cum tamen Hiſtoriographis & Coſmographis perutilia ſint utpote temporum & locorum ſigilla. Porro cum Dialecticam Artem eſſe definiendi,

diuidendi & argumentandi dixerimus, operæprecium ē, de definitione, diuisione, & argumentatione nonnulla in mediū adferre, Quā necessaria quauis in arte definitio sit, declaratione minime res eget, Siquidē nihil intelligi aut cognosci recte potest, nisi illud clare prius definiueris, ignorata parte definitionis definitum ignorari necesse est. Duplex autem definitio, nominis & rei, nominis est ueluti quædam interprætatio, seu Etymologia, ut si dicas, φιλαυτια est amor sui, Philosophia est sapientiæ studium, definitio rei est quæ partes rei, causas & accidentia exprimit, atqui diuisio non minorem uim quam definiendi ratio obtinet, nec quis unquam egregius dicēdi aut docēdi artifex futurus est, nisi oia de quibus dicturus est, diuidere & in partes secare nouerit. Deinde in docendo imprimis frugifera est diuisio, ut ea quæ non cohærent, separentur, alioquin eueniret, ut omnia temere congerantur, & nullo ordine seruato confundantur, profecto res aliqua perspicue, dilucide: commode sine diuisione explicare minime poterit, Cicero Seruium Sceuolæ quamuis iuris peritissimo ideo pretulit, quod Dialecticam iuris scientiæ addidit, artem ut ipse existimat omnium maximam, quasi lucem quandam ad ea quæ confuse aliqui uel agebant, uel respondebāt Cæterum ea in re diuisio dominatur, maximā autem uocat, quod rem uniuersam in partes distribuere, latentem explicare, definiendo, obscuram manifestare doceat, Tum interpretando, ambiguum primum uidere, deinde distinguere. Postremo habere regulam qua uera a falsis diju-

diiudicentur, & quæ quibus propositionibus essent, & quæ non consequentia. Nũc ad argumentationes deueniendum est, prius tamen de propositionibus ex quibus illæ conficiuntur, pauca dicenda sunt, quarum utilitas præcipua hæc. Quod in omni controuersia, negotio, aut Epistola, nobis aliqua propositio constituenda est, in qua eius negotij summa, de quo quæstio est, comprehendatur, quidam enim cum orationem habituri sunt non constituunt, nec qua de re loqui uelint significant, alij cum proposuerint sui instituti obliuiscuntur, ideoq; euenit ut oratio quæ non cohæret prorsus intelligi nequeat, gratiamq; meretur nullam, Qui quæso aliorum scripta assequi poterunt hi? qui non ad unam propositionem uelut ad statum (ut Rethores uocant) seu caput omnia argumenta referunt. Proinde latißime huius Dialecticæ partis usus patet, neq; perspicue scribent unquam, qui aliquam certam propositionem ex toto orationis corpore, quæ rei summam contineat, elicere nõ norunt, quod Dialecticæ ignaris accidit, periti enim facile uel integram orationem ad unum syllogismum redigẽt Obiter notandum, indicatiuâs propositiones certißimã sententiam parere, solasq; uerum uel falsum significare ideoq; placuisse authoribus, ut hæ solæ propositiones dicerentur. Porro artem iudicãdi, quid uerum, quid falsum, illa pars Dialectices quæ de oppositione est, tradit Tum autem oppositio est, quando duæ propositiones, in quibus eadem sunt subiecta & prædicata inter se dissentiunt, quod quidem nosse operæprecium fuerit, nullum

lum

lum enim maius in oratione aut sermone nostro peccatum est, quam pugnantia dicere, aut ea discernere non posse, quod huius scientiæ rudibus euenire uideas, ad hæc in quauis oratione argumentatione opus est, nulla qꝫ omnino controuersia, aut disputatio reperitur, quæ non argumentis conserta sit. Quinimo quotidiano in sermone sese offert argumentatio, adeo ut ipsi rustici licet ignorent, argumententur, ita nobis familiares sunt artes & benignæ, ut ultro se offerant. At nos miseri homines nostras opes ignoramus & maxima cum ignominia ab ignauis nobis artes negliguntur, cum de nullo tamen argumento Dialectices imperiti, recte iudicare ualebunt. Non mediocris profecto negotij est, sentire ubi totum argumentum orator recitet, ubi partem quæ erat infirmior dissimulauerit. Quæ qui deprehendere minime possunt, quō singula orationis membra cohæreant, non adsequuntur, est autem argumentatio aliud nihil, quàm oratio institutam propositionem illius rei de qua controuersia inter aliquos uertitur, probans quandoquidem omnis argumentatio ad huiusmodi propositionem probandam, tanquam ad scopum dirigenda est, hoc adolescentes in legendis authoribus obseruare optarim, ut semper aliquam sententiam ex illis elicere studeāt, argumentaqꝫ illa quibus utuntur, formis Dialecticis alligent, ita enim futurum est ut non tantum huius artis uim perspiciant, uerumetiam multo melius illorum sententias intelligent, Argumentationis autem Quatuor sunt species Syllogismus, Exemplum, Enthimema

mema, Inductio, de quibus Dialecticos consule. Et quẽadmodum propositionum aliæ necessariæ aliæ contingentes sunt, sic oino de argumentatione censendum est Argumentationes necessariæ sunt, quæ alio nomine demonstrationes appellantur, sumpto uocabulo a Geometris qui probationes suas, quæ res ipsas quodammodo oculis nostris subijciunt, ἀποδείξεις uocant, tum autẽ demum demonstrationes confeceris, cum ex definitione, definitum, aut contra, item ex proprijs causis effectus, seu propria officia, aut ex effectibus proprias causas collegeris, & ut quæq; scientia certißima est, ita plurimas demonstrationes habet. Quamobrem in Arithmetica & Geometria quæ maxime certæ sunt, Hoc argumentationum genus dominatur. Nec tantum in disciplinis uerum in omnibus negotijs & causis uidendũ, nũ aliquæ demonstrationes uersentur, data enim demõstratione nullus relinquitur dubitãdi locus, qppe hæc definitionũ causas & effectus cõplectitur, atq; scire (teste Arist.) rẽ est p causam cognoscere, Vna igitur p demõstratiões cõsequẽdæ pfectæ notitiæ uia est, sunt. n. hæ uniuersales sentẽtiæ mẽtibus hoim inscriptæ, initia & oim disciplinarũ fõtes, & causas oim artiũ cõtinẽt, certiq; nihil ĩ aliqua scia hri põt, nisi pricipia illa prius cognita sint, nec ualet mẽs pricipijs q̃diu illæsa ẽ nõ acq̃escere. Propterea hæc pauca de demõstratiõibus adiecta sunt, ut incerta à certis iuuenes separe discãt, caueãtq; ne illa p his in negocijs et disputatiõibus sequãtur, nõ q; uĩ raro in grauibus causis inter hæc delectũ nõ hrẽ, officit. Cæte-

Cæterum id pretereundum non duxi, quod quemadmo dum ſupra dictum eſt, nihil de inueniendo medio in Di alectica tradi, ita nec de inuenienda prima cauſa aut quæſtione quidquam precipitur: uerum id caſus & tem pora offerunt, Quandoq; enim de religione dicendum de uirtute ſeſe queſtio offert, mox de ci nonnunquam uilibus negocijs agendum eſt. Poſtquam autem queſtio ſeu prima cauſa propoſita eſt, tum demum Dialectici loci conſulendi ſunt & peruoluendus in eis (ut inquit Cicero) animus, donec uel rei quam explicare aut de fendere uolumus, argumenta quærantur, uerbi gratia, rogandus eſt patruus aut auunculus, ut ſtudijs ſumptus ſuppeditet, epiſtolæ cauſam nunc habes, quibus uero u tendum argumētis, ut id facile conſequaris, hæc ars fœ liciſſime perdocet, & certos locos oſtendit, qui materi am offerunt, & quopacto ſcribere conueniat, admonēt Quocirca has rerum formas probe perſpectas habere, utiliſſimum fuerit, ut cum res oblatæ fuerint, ad quos lo cos eas accommodemus, in promptu ſit, Mirabitur for taſſes quiſpiam, cum Dialecticam & Rethoricam artes eſſe admodum uicinas dixerimus, cur diuerſi ſint Re thorum & Dialecticorum loci, maxime cum utraq; ſci entia, inueniendorum argumentorum locos tradere pro fiteatur, huic reſponſum uelim, Dialecticos ueluti Re thoricorum eſſe fontes, & cum res eadem ſint, appellati one tantum uariant, illud poſtremo adijciendum puta ui, locum illum generis ad ſpeciem anguſtioribus con cluſum eſſe finibus a noſtris Dialecticis quam oporteat

Genus

Genus enim solum illi homines uocāt, quod species proprie dictas habet, cum tamen quoduis superius ad suum inferius Genus censendum sit, & argumenta inde ducere liceat, quinimo substantiuum ad suum adiectiuū cum substantiuo generis rationem habet, ut homo ad hominem album uel hominem nigrum, atq; ita arguere licet, non uiri uocabulo dignus est ergo nec boni uiri. Illud quoq; paucis admonebo, In omni oratione in qua est uox, tantum abest, non solum, & id genus augmentatiuæ particulæ, aliquam subesse argumenti rationem, exempli causa, dum dicimus non solum pro te pecuniam funderem, uerum etiam sanguinem, Latet hoc argumentum, sanguinem pro te effunderem ergo & pecuniam. Quam quidem rem, paucos animaduertere uideas, ideo accuratius id notandum est. Verum enimuero cum hactenus, quid sit Dialectica, quæ sint eius officia, nimirum definire, diuidere, & argumentari tradiderimus, atq; alia quædam de usu atq; utilitate Dialectices, per quæ fortaßis, id quod postremo inquirimus, nimirum artes sibi mutuam opem prestare, liquido cōstat Hoc tamen dilucidius & apertius demonstrare lubet. Tum Dialecticam ueluti instrumentum esse quo sese reliquæ explicent artes, atq; suas merces mortalibus communicent, ostendere pro uiribus conabimur: a Grammatica sermo initium sumat. Quam hac egere methodo uel ex eo manifestum est, quod parum fuerit animi nostri sententia, Grammatico sermone exprimere, nisi certum quendam disponendi modum aliosq; distincte &

ordine

ordine docendi rationem, quam Dialectica suppeditat, nouerimus. Præsertim cum ad Grammaticam quosuis authores explicare pertineat, quemadmodum suo loco supra dictum est, Rethorica manca prorsus & plane sterilis foret, nisi inueniendi & iudicandi scientiam uariasq; argumentationum formulas, & cætera generis eiusdem, (quæ ex supradictis facile colligi possunt,) à Dialectica mutuaretur, Mathematicæ disciplinæ, suas maximas citra Dialecticæ opem, nullo pacto probare possent. taceo quod circa quantitatem uersentur, quæ de prædicamentorum numero est. Sed quid multis, cum Dialecticam esse artem definiendi, diuidendi & argumentandi dixerimus, porro nulla omnino ars est quæ definitionibus, diuisionibus, & argumentationibus carere ualeat, nullam prorsus esse disciplinam quæ hac non indigeat methodo, exploratißimum esse arbitror; Nec altiores quidem disciplinas excipio quinimo uel hoc solo nomine, quod crebrius definiendum, diuidendum, & argumentandum ibi sit, plus adminiculi, quā in reliquis inferioribus artibus adferre posse disserendi facultatem perspicuum est. Non dicendam huius scientiæ utilitatem expendens Socrates, idcirco apud Platonem, persuadere legem ferri, nititur, qua iuuenes Dialecticam discere cogerentur. Quamobrem prudentißime a maioribus nostris institutum est, neminem ad licentiæ gradum in Theologia aut Medicina admitti, nisi Magisterij insignibus decoratus sit. Vtinam de Iure idem sancitum foret, non ita sursum deorsumque

omnia

omnia ferrentur, nec tam multi inepti & rerum prorsus imperiti, cum maximo rei publicæ detrimento, ad rerum gubernacula admouerentur, aut docendi munere fungerentur, Non (me Hercle) minus Iurisprudentiæ quam Theologiæ, aut Medicinæ frugifera disserendi facultas est, (qđ quia Iuris studio destinati sumus,) euidentius demonstrare lubet, Cum enim subinde contingere poßit, ut Iurisprudentiam quis profiteatur, quod semper (ut inquit Cicero) honestum fuit, id ut fœlicißime & perspicue fiat Dialectica sola prestabit, quæ methodum & rationem docendi certißimam ostendit, nimirum ut res de qua aliqui docendi sunt, Principio certa finitione explicetur, Tum si multiplex existat, in suas partes distribuatur, aut in species dissoluatur, adhæc ut Officia, (uel quæ Aristoteles τα ιδια uocat,) & partium & specierum auditoribus ostendantur, tum in quibus distributa & diuisa conueniant, aut pugnent aperiatur. Denique cum res ex suis causis conspiciantur, & in intellectum incurrant, disserendi facultas & rerum causas quibus Iurisconsulti uel (Cicerone in Topicis teste,) uti consueuerunt, (his qui docendi sunt) enodari iubet, qua docendi ratione, nihil melius utiliusue dici aut excogitari posset, siquidem per eam fit, ut rei quæ nobis caliginem mentis inducit, natura, & uis tota partes & officia ob oculos nostros ponantur. Mirum dictu quantum ad agendas

causas &

causas & consilia danda. Hoc docendi filium sequi, expediat, sic enim futurum est, ut iudex causam quam agis, intellectu comprehendat, intellectu comprehensam, memoria complectatur, memoria comprehensam, secum quam accuratissime expendat, & ubi expenderit sententiam iustam ferat, in consilijs dandis hæc docendi ratio effecerit, ut quod suadeas aut dissuadeas sciri poßit, et hinc calculis motis & rationibus subductis, quod optimum est arripiatur, Dialecticæ uero imperitus, ut quidam mentis impetus dictitat, effundit omnia, ob idq; auditorum animos a se alienat, nec quid consulere uelit intelligi pōt. Præterea cū iurisconsulto id ꝙ proposuit nōnūq̄ argumētis cōfirmādū sit, argumēta tenere quæ soqui poterit? si locos Dialecticos in quibus nō aliter latent atq; in littore gemme, probe perspectos minime habeat, Propterea Trebatius se iurisconsulti partes tueri, nequaquam posse, sine horum cognitione locorum intelligens, Ciceronem iterum atq; iterum rogauit, ut in eius gratiam hac de re aliquid scriberet. Accedat quod Baldus in. l. conuenticula. Co. de Episcopis & Clericis, nonnihil de locis scriptum reliquit. Et Claudius cantiuncula magnum nostri seculi iurisconsultorum decus, librum elegantißimum, (quod Græci dicere solent,) lac plane ueneris spirantem, composuit, quod haud dubie non fecisset, si non utilißimum perpendisset. Non sane intelligo, qui aduersarij argumenta refellere iurisconsultus poterit, nisi Dialectices peritus. Hæc enim sola quid uerum quid falsum dinoscere, ambigua deprehendere

dere, contraria perſpicere, minus conſequentia minusq́; coherentia oſtendere, abſurda & non concludentia reijcere docet. Vſui & in hoc erit Dialectica, ut argumentis recte uti, eaq́; quibus lex aliqua infirmatur, uel confirmatur, eruere, eruta & ipſi obſeruare & alijs oſtendere ualeamus, quibus quidem deprehenſus, lex aliqua magis illuſtratur, quam ſi alios ſuper alios coacerues commentarios, quam turpiter gloſſatores in diuiſionibus ob predicabilium ignorationem ineptiant, lippis tonſoribusq́; notum. Taceo quod Bart. in.l.quod nerua ff.de poſ.culpam in latiſsimam, leuem & leuiſsimam, tanquam in ſpecies diuidit, cum Dialecticus ea q̃ ſecundum magis aut minus dicuntur diuerſas minime conſtituere ſpecies doceat, poſtremo cum libellus aliud nihil ſit quam ſyllogiſmus Dialecticus, non temere libellum aduocatus formare poterit, niſi Dialecticæ peritus exiſtat, atq́; per hæc non minus quam ignem & aquam iuriſconſulto neceſſariam eſſe Dialecticam, indubitatum relinquimus. At uero cum ſubinde accidere poßit, ut quoq́; Theologus & Medicus docendi munere fungantur, quod ut fœliciter fiat Dialecticam ſolam præſtare in cōſpicuo eſt. Proinde iſtiuſmodi quoq; hoībus non ſummopere frugiferam eſſe minime ambigitur Adhæc illa quæ de locis a Dialecticis traduntur, Item definiendi, diuidendi, & argumentandi ſcientiam, non minus adminiculi opiſue, Theologiæ, Medicinæ quam Iuriſprudentiæ adferre poſſe, pluſquam manifeſtū eſt, ſiquidem omnino eadem eſt ratio ob quam huiuſcemo-

dĩ altioribus disciplinis utilia sint, quocirca ad longum in quauis facultate harum & similium Dialecticæ partium utilitatem demonstrare, superuacaneum foret: ita q; in iurisprudentia ostendisse, sufficiat. Porro quemadmodum disserendi facultatem, alijs artibus supra modum commodare ostendimus, ita aliunde nonnihil opis emendicat, a Grammatica quidem sermonem Grammaticum mutuatur, ridendus enim in suis disputationibus ueniet Dialecticus si minus emendate loquatur, a Rethorica ornatum ac omnem mouendorũ affectuum rationem depromit. Taceo quod medium per quod probatur conclusio ex quibusuis authoribus haurit atq; perdiscit, non enim id Dialectica docet, ut supra monuimus, sed uaria authorum lectio & multarum rerum cognitio, suppeditant: atq; per hæc illum artium concentum quem esse sustinemus: hactenus illæsum perdurare liquido constat. Lõgior forte hæc oratio existimabitur, sed si cum magnitudine utilitatis compares, breuior fortaßis uidebitur.



RETHORICA.

Vis mentes hominum dulci sermone mouere
Me duce, uel siluas duraq; saxa potes
Sum Regina potens, superos acherontaq; flecto
Gesto mea pacem diraq; bella manu


EGINA Scientiarum & perfecta Sapientia præclarum deorum munus eloquentia, merito a luculentis scriptoribus nuncupatur, ipsa enim est animi cultura ac una de uirtutibus summis, sacra, uenerabilis, rerumq; publicarum gubernatrix illustris, ipsa est quam Marcus Tullius primam artem appellat, quam Cornelius tacitus cœteris aliarum rerum studijs anteponendam autumat, Hæc ars est illa quæ imperat ac dominatur affectubus, quæ mores hominum componit & recte fingit. Hac adiutus Mercurius, artis (ut fama est) inuentor, feros quondam atq; agrestes homines urbanos atq; humanos reddidit, nec nō ad cultus honestos retraxit. Et cum olim a senatu plebs secessißet, eratq; tum, non solum deformis sed miserrimus Reipublicæ status, tantiq; imperij Romani spes, in ipso propemodum exortu interijsset, nisi hortensius q-dam eloquentia sua ad concordiam plebem cum senatu reduxisset. Deinde legum conditores, quibus nihil emūctius, limatius, aut sententiosum magis est, eloquentiæ fulturis adminiculati, saluberrimas condiderunt leges, (author nisi coniectura fallor Cornelius Tacitus) Palamides orator, ut unum multa, Gorgias ut parua esse magna. & magna uicißim parua, uetera noua, & noua uetera apparerent. huius artis beneficio efficere solebat, Præsidium & telum est Rethorica, quo quidem pugnare pariter & incessere possumus, Eloquentiam a te ab-

dicando

dicando,cultum elegantiamq; uite perdidisti.Eloquentia destituti cum ad externas nationes legati mittuntur. Cum pretores iuridicendo sedent,cum in senatu sententiam rogantur,his qui adsunt, risum mouent, delira & insulsa prorsus deblaterantes.Est autem Rethorica ars,quæ rationem ac uiam ornate ac splendide dicendi monstrat.Porro dicendi genus multiplex est,quoddam Atticum,quod pressum & humile, propterea quod Athenis iuberentur absq; procmijs & affectubus dicere, Asianum,tumidum & redundans, pro gentis illius moribus fastu turgidæ & luxu rerum superfluentis,Rhodium medium & ex utroq; temperatum est.Genera causarum tria,deliberatiuum iudiciale & demonstratiuum Partes orationis sex exordium narratio,diuisio,confirmatio,confutatio,& conclusio. De quibus omnibus,itē quæ de mouendis affectubus,de copia,memoria,prolatione dici possent,(quibus credunt totam dicēdi artem absolui,)Rethores consule. Paucis eos qui dicturi sunt admoneo,Vt primum si fieri potest uera,si non inueniantur,saltem uerosimilia adducāt. Confugere enim ad ea quæ nec uera sunt,nec uerosimilia, uel ad deprecationem (ut in statu coniecturali) miserrimum est.Et licet Græci æque ueteste oratores causarum Rethores uocent.Ita tamen Latini distingunt,ut Orator sit qui causas agit,Rethor qui Rethoricam profitetur, declamator,qui alios docendi causa,siue exercendi gratia, fictam orationem orat. Illud prætererea adolescentes animaduertere uelim,ea quæ in Rethorica tradūtur, ad

parandam eloquentiam minime sufficere, uerum natu-
ræ uis maxima rerumq; multarum cognitio & scientia
requiruntur. Insania enim est, non eloquentia, de rebus
ignotis dicere. Quocirca uerius nasci, quam fieri elo-
quentes dixerimus. Nec ob id a Rethoribus sua præce-
pta excogitata sunt, ut nos eloquentes efficerent, ue-
rum longe alia eorum mens est, nimirum ut rationem
magnas & difficiles causas explicandi, commonstra-
rent. Tum Oratores intelligere, ac de illorum scriptis
recte iudicare possemus. Non enim facile quis longas
contentiones comprehendere poterit, intellectu compre
hensas, memoria complecti, memoria complexas, secum
quam accuratissime expendere, & ubi expenderit sentē
tiam iustam ferre, nisi arte aliqua iuuetur, quæ seriem
partium, & interualla, quæ docentum Consilia, quæ ra
tionem explicandi ac manifestandi magnas & obscu-
ras causas demonstret, non tam igitur ad dicendum,
quam ad aliena scripta recte intelligenda, ac diiudican
da, adhibetur Rethorica, & quemadmodum Dialecti-
cæ finis est, utrum omnia cohæreant iudicare, tum in do
cendo certam sequi legem, ita Rethoricæ de longa ora
tione iudicium ferre, qualis sit partium series, quæ sunt
præcipua membra, quæ ornamenta & cætera generis
eiusdem. Quod autem dixerimus artis dicendi præcep
ta, Oratores nos minime efficere. Id sane intelligi opor
tet. Siquidem ut aliarum rerum artifices, ita disertorum
uirorum imitatione, oratores fiunt, quos tamen intelli-
gere nec de eorum scriptis recte iudicare poterimus,
absq;

absq; illius artis adminiculo, quæ explicandarum Causarum rationem ostendit. Itaq; si confiteremur, non solum utilia Oratoribus, ea quæ in Rethorica traduntur, uerum prorsus necessaria sunt, nec ad eloquentiam dũtaxat, sed & prudentiam profutura, Proinde si tibi aliquod negocium, aut causa ardua tractanda sit, Primo Rethorica consulenda est, & ad quod causæ genus res pertineat, uidendum, depræhenso genere causæ, ad tractandum materiam utiles sese loci offerunt. In hoc autem genus causæ scire profuerit quod tum orationis finis facile perspici poßit. Porro quauis in causa finem nosse, ac utilitatem quæ ex oratione expectanda est, nõ parui faciendum existimo, Omnis enim oratio, aut ad docendum destinata est, aut præter cognitionem alium finẽ spectat, quippe aliquid fieri iubet aut hortatur, ut si quis in Turcas suscipiendum bellum suadere imo persuadere nitatur. Istiusmodi suasoriæ orationes sunt, & deliberatiui quidem generis, quemadmodũ & illæ quæ deprecantur aut consolantur, Iudiciale enim genus est qđ positũ in cõtrouersia habet accusationẽ in se aut petitionẽ cũ defensione, huiusq; scopus æqtas est, ad q̃ respectũ habens iudex, de causa pronunciat, & hoc quidem causæ genus iurisconsultis peculiare est. Cæterum demonstratiui generis, finis est dumtaxat cognitio ut cum Alexandrum laudamus, & res ab eo strenuue gestas recensemus, docendi gratia auditorem id fieri minime ambigitur. Non solum tamen demonstratiui sed & didascalici generis, scopus est cognitio, huic autem

tum locus est, cum quis forte docere suscepit, quæ res iustos aut beatos mortales efficiant, aut aliud quidpiã eiusdem farinæ. Quemadmodum igitur in librorum initijs, sedulo, quæ sit operis intentio, seu scopus querendũ est, Ita Rethoricæ studiosus, perpetuo de genere causæ & utrum cognitio finis sit, an præter cognitionem aliquid expectandum, animaduertere debet. Attentiores enim & alacriores reddimur, cum utilitatem quæ ex oratione expectanda est, intelligimus. Nec prius quiescit uiri prudentis animus, quam orationis finem perspexerit, in quem mentis aciem dirigat atq; conuertat.

Porro dicendi ars, iuxta oratoris officia, in quinq; secatur partes, nimirum inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, & pronunciationem, At uero cum omnis oratio, rebus ac uerbis constet, prior cura rerum, posterior uerborum erit. Siquidem primo res inueniendæ & eligendæ, inuentæ, ordine explicandæ seu disponendæ sunt. Tum easdem Gemmis ueluti quibusdam ornare, postea memoriæ mandare, & ad extremum cum dignitate eloqui conuenit. Inuentio quidem & dispositio circa res, elocutio circa uerba uersatur, atq; tribus his partibus tota fere dicendi facultas absoluitur. Quã tum ad inuentionem attinet, hoc animaduertendum. Quemadmodum in Dialectica de inueniẽda prima causa aut questione nihil precipi dictum est, ita hic inueniendæ primæ causæ aut quæstionis rationem minime tradi. Sed uaria negocia uariæ actiones uaria argumẽta offerunt. De dispositione Cicero scribit, nullam ora-

tionis partem, plus ad causæ uictoriam conducere. Etenim plurimũ refert, quo loco singula aut explicẽtur aut dicantur. Ordinem quoq; ad orationis perspicuitatem miruminmodum conferre, nemo sane mentis inficiabitur, qua de causa in docendo auditoribus dispositionẽ ostendere, non parum esse iudicauerim, quod hac perspecta, intellectu cuncta faciliora reddantur, Haud dubie a iuuenibus longæ aut difficiles contentiones prole intelligi neutiquam poterunt, si oculi per uniuersum orationis corpus uagentur atq; decurrant, proinde ordinem, partiumq; regiones demonstrare, ut singula mẽbra considerari, atq; dijudicari queant, quopacto inter se consentiant, utilißimum esse non ambigitur. Cæterum elocutionis uniuersa ratio, in tribus, sermone Grãmatico, figuris, & amplificationibus consistit. Memoria oratori quidem necessaria, non tamen ad orationis naturam accedit, deinde pronunciationis non minima uis est. Etenim licet omnia sagacißime inuenta atq; ordine optimo disposita sint, nisi tamen pronunciationis accedat gratia, nullum pondus habitura sunt, & oratio quantumuis elegans, frigida iacebit, nisi pronunciatione extollatur, Hinc est (nisi fallor) quod Demosthenes interrogatus, quid Primum, quid secundum, quid tertium in eloquentia foret, Pronunciationem esse respondit. Quinetiam & oculorum, ut (res postulat) aspectus ipsiusq; corporis ac uultus decens compositio, grauitasq; inter pronunciandum adhibita, ad animos auditorũ in sententiam nostram, pertrahendos, uim maximam habere

bere creduntur. Et interdum pedibus plodere in oratore laudatur. Nec mirum id uideri debet. Siquidem ut uultus & gestus disponuntur, aut sermone nostro oratione ue exprimitur, ita affecti esse uidemur. Propterea cuidam apud amicum ob aduersam fortunam conquerenti, nec eā uultu aut gestu præseferenti, responsum est non sunt dolores quos narras, longe aliter loquereris. Taceo quod duos, eodem omnino sermone utentes uideas, alterum quod Rethoricam in sua oratione adhibeat gestusq; & pronunciationis gratiam obseruet, exoratorem uotiq; compotem redire, alterum, qui ut quidam mentis fert impetus uerba effundat, turpiter repulsam pati. Quæ res quanta sit huius scientiæ dignitas, quam ualidi eloquentiæ nerui aperte loquitur, Regina profecto potens eloquentia, urbes, castra expugnat, gentes ferocissimas debellat, nihilq; illi iure negatum creditur, At mirabitur fortassis quispiam, quod tantopere dicendi artem laudibus extollamus, Cum olim tanquā reipublicæ perniciosam prohibitam fuisse constet. Verum nihil nos istud mouere debet. Hauddubie enim ad hominum salutem & conseruationem inuenta est. Interim tamen non inficiamur, ut cuiuis liquori ita cuiuis disciplinæ suam inesse fecem. Quandoquidem & ipse sol luna cæteraque astra, quandoque humano generi noxia & pestifera sunt, & homo homini nunnunquam lupus est. Non tamen ob id quidquam astrorum nobilitati, aut hominis præstantiæ decedit. Eundem in modum etsi pestilentes fuere esseq; possint

artes

artes, nihil tamen earum dignitati detrahitur, homi-
num enim abutentium culpa, non scientiarum accidit.
Nec artes sed praui hominum mores culpandi ueniunt,
Adhæc esto quod inhibita fuerit, tam hæc quam ars Po
etica, postea tamen cum honestæ & frugiferæ apparu-
issent, maximo in præcio fuere, adeo ut artis dicendi
potissimum beneficio, plurimi infimo loco nati in sena-
torum numerum relati sint, Dijs quidem & hominibus
amabiles nos eloquentia reddit, adeoq; dicendi ars fru
gifera est, ut hac e medio sublata, reliquæ incultæ ie-
iunæ & propemodum inutiles uideantur. Præci-
pue enim in hoc homini sermo datus est, ut alijs honesta
suaderet, a turpibus dehortaretur. Id autem commodi-
us fieri non poterit, quam si auditorum animos blan-
do suauiq; sermone demulcentes afficeremus, affectos
ac iam propensos, tandem quod huic scientiæ propri-
um peculiareq; est, in nostram sententiam pertrahere-
mus. Quorsum dij boni Grammatica, Quorsum Di-
alectica, Quorsum reliquæ artes, si quæ in eis tradun
tur, ubi res poscit, uel necessitas urget, placide eloqui
& cum audientium beneuolentia, minime ualeamus,
eorumq; animos quo æquum est impellere, eloquentiæ
neruis destituti nequeamus. Postremo cum ad Gram-
maticam, quosuis enarrare authores pertinere dixeri-
mus, qui fieri hoc poterit, si illam artem, minime cal-
leamus, quæ magnas atq; obscuras causas ac doctorū
scripta uirorū explicandi rationē monstrat, tū ea recte

intelligere & dijudicare docet. Quo omnia Rethoricæ præcepta ſpectare, ſupra monuimus. In demonſtranda Dialecticæ, & Rethoricæ Harmonia, non ſummopere laborandum eſt, cum artes admodum affines eſſe compertiſſimum ſit, adeo ut ſi Rethoricam non ſolum circa forenſes & ſuaſorias cauſas uerſari dicamus, uerum circa omnes de quibus docendum, aut tractandum eſt, diuelli a Dialectica nullo modo poterit, quæ eſt docendi perfecta ratio, Cœterum arti dicendi, ueteres: forenſes dumtaxat ac ſuaſorias materias tribuebant, Dialecticæ uero alias omnes de quibus certa quadam methodo & ratione docendi eſſent homines, atq; iuxta hoc diſcrimen, proprius finis diſſerendi facultatis docere eſſet, Rethoricæ uero promouere, atq; aliquo animos impellere. Vt ſi de uirtute tractandum ſit, quid ſit uirtus, quas partes habeat, quos effectus, Dialectica conſulenda eſt. Sin uero ad uirtutem quis exhortandus ſit, iam Rethorum loci ſequendi erunt, Verum quia ratione docendi, præſertim forenſibus in negocijs Rethores carere minime poſſunt. Ideo Dialecticam ſuæ arti admiſcuerunt, & finitiuum ſtatum, quem in iudicialibus cauſis recenſent, a Dialectica emendicarunt, hoc unum interim quod certo certius eſt, latere iuuenes nolo, multo plus Rethoricam Dialecticæ, quam Dialecticam Rethoricæ debere, hæc enim argumentationum formulas, confirmandi modos, concludendi rationes, & cœtera generis eiuſdem, quæ ex tractatu Dialectices haberi poſſunt, a diſſerendi facultate mutuatur, unum

uero

uero licet maximum, dumtaxat Rethorica Dialecticæ impartitur, nimirum afficere, & animos quo æquum est impellere, Mathematicarum quoq; studiosis disciplinarum frugifera Rethorica est, ibidem enim difficillimæ reperiri sententiæ possunt, quæ intelligi neutiquam poterunt, citra illius artis opem, quæ aliena scripta recte intelligere docet. Taceo quod subinde accidere potest, ut de sua arte Mathematico oratio habenda sit, plane tamen frigebit, minimeq; auditores afficiet, si eloquentiæ neruis destituta sit. An altiores disciplinæ huius artis auxilium in aliquo implorare habeant, uideamus. Principio illud in confesso est, in Theologia, Iure, Medicina, maxime difficiles materias & causas tractandas, quotidie occurrere posse, quibus sese explicare Theologi, Iurisconsulti, aut Medici, nullo pacto ualebunt, Si Rethorum præceptionibus probe instructi non fuerint. Deinde istiusmodi homines causam aliquam acturi, ita eloquãtur, oportet. Vt qui audiũt & admiratione & uoluptate afficiantur, alioquin fastidium auditoribus parient, uerbaq; inania fundent, atqui ut nitidus uenustus & politus sit sermo, auresq; audientium demulceat, ars dicendi sola præstabit, ex qua illustrandæ orationis mẽtisq; hominum deliniendæ ratio, non aliter quam e penu quodam depromitur, adhæc cum iurisconsultus orator quidam sit. Vnde exordium quæso, quo in causarũ initijs utendum est, hauserit, nisi ex Rethorum libris, qui ea de re ex instituto tractant. Vnde narrandi lucem & breuitatem commodius, quam ex Rethorica discet.

 Propositu


Propositurus est seu litem contestaturus quispiam, ut iurisconsulti loquuntur. Id ut fœlicissime fiat, dicendi ars sola dabit. Probare uis id quod proposuisti, uel ea refellere quæ aduersarius pro se attulit, (toto quod aiunt erras cœlo) si non e rethorum preceptionibus, haurienda putes, quæ causam tuam iuuare, uel aduersarij argumenta retundere ualent. Deinde ad dicta testium, in firmanda, uel in ipsos orationis mucronem intendendum, haud dubie Rethorica perutilis est. Præterco quod in Fabij de Rethorica libris, multa memoriæ prodita sunt, quæ ad usum forensem miruminmodum conferunt. Item elocutionis præcepta aprimis utilia imo propemodum iurisconsulto necessaria sunt. Quantumuis enim in agendis causis exercitatus fuerit, nisi tamen ut membra in corpore connexa herent, ita orationis suæ partes seu membra coniunxerit, gratiam merebitur nullam, sed uelut amens insanusue exhibilabitur, atq; explodetur. Vulgo iactatur libellum minime uagum minime obscurum esse debere. Tum ne facti narrationem, libelli peroratio precedat, præcipitur, quæ omnia incommoda, uix aduocatus effugere poterit, nisi compositionis præcepta, ex Rethorum scolis perdidicerit. Et semper in instituendis actionibus aut libellis formandis, extra causæ limites euagabitur. Memoria quoq; iurisconsulto, siue docendi munere fungatur, siue postulet, omnino necessaria est, alioquin non solum Ius ciuile (quod sparsum uagumq; est) minus fideliter interpretabitur uerumetiam nō raro euenire poterit, ut aut maxima cū


ignominia intersilere aut fabulas in medium proferre cogatur, dũ ea quæ docẽda aut agenda sunt, probe non meminerit, atqui memoria (nisi a natura concessa sit) quæ præceptis admodum non eget, nullis melioribus rationibus iuuari potest, quam his quibus Fabius & Cicero iuuandam demonstrant. Non etiam commode pronũciationis gratia, a iurisconsulto aufertur. Cum enim apud populum, Senatum, Principem, uerba habiturus est, fœliciter se explicare nequibit, si certam pronunciandi rationem, legemue non teneat. Postremo, Theologis dicendi ars frugifera est, cum enim plurimis ex officio animarum cura incumbat, facilius hac arte instructi, concionibus suis plebem a uitijs reuocabunt, honestaque suadendo, turpia dissuadebunt. Itaque q̃ mortalibus dicendi facultas commodet cõpertißimũ esse arbitror. At uero quẽadmodũ natura comparatum uidemus, ut quæcunque pulchra eadem difficilia essent, ita præclara res, bene dicere, uerum longe difficillima ac quasdam naturæ dotes & multarum rerum scientiam requirit, earumque omnium de quibus instituitur oratio. Quis enim quæso de Theologia, Iure, Medicina, digne dicere poterit, nisi multum in his disciplinis diuque uersatus fuerit, Quamobrem uaria a uarijs artibus Rethores emendicare coguntur, a Grammatica congruum sermonem, a morali Philosophia, quæ ad morum probitatem inducendam atq; improbitatem improbandam conferunt, mutuatur. Ab Historiographis & aliorum periculo prudentiores

fieri, & alios prudẽtiores reddere, discũt, ex quouis scri ptorum genere quod ad bene beateq; uiuendum iuuare potest, seu ut uitæ nostræ cursus ad nutum summi dei instituatur, quemadmodum & ea quæ ad mouendos affectus pertinent, (apum in morem) decerpunt. Deinde illa Philosophiæ pars, quæ Phisica appellatur, ex qua omnium rerum copia proficiscitur, nullo pacto oratoribus negligenda est. Nimis enim falluntur illi qui in discendis argumentis, figuris, & istiusmodi rebus, temporis multum tribuunt, ac interim rerum pondera negligunt. Quamuis enim exploratissimum sit, nullam iure probari orationem, quæ non mira uarietate, ac Gemmis quibusdam distincta sit. Nec parum inesse gratiæ, Rethoricis coloribus fateamur necesse est. Imprimis tamen curandum est, ut ingens rerum & uerborũ copia adsit, ne identidem cuculi in morem occinentes, delicatas audientium aures, tedio enecemus. Etenim ut oculi diuersarum aspectu rerum recreantur, magisq; detinentur, ita semper animus circumspectat, in quod ueluti nouum sese intendat, cui si undiq; similia obtrudantur, ueluti saucius auertitur, atq; ita euenit, ut inania uerba iactentur in auras, ac suo fine defraudetur oratio, minimeq; persuadeat, quod est scopus, ad quẽ omnia huius artis præcepta tendunt. Quocirca non solũ Physica, sed nulla oĩo Philosophiæ pars, Rethoribus prætermittenda est. Quinimo orator Philosophus quidam sit, oportet. Vnde enim illa dicendi uis, nisi e Philosophorum scolis, unde eloquentiæ nerui nisi e fontibus

bus

bus Philosophiæ petentur. Nec Mathematicarum quidem sciarū rudes esse Rhetoribus conceditur, ab his enim exempla quædam desumuntur, quæ & uenustatis & gratiæ plurimū habēt, illisq; hoībus quotidie usui eē possunt, Sileo quod accidere potest, ut de Mathematicarum disciplinarum laude, Rhethoribus oratio habenda sit, Tumq; turpiter intersilere, aut meras nenias auditoribus obtrudere cogentur, si in his artibus uersati minus fuerint. Proinde quemadmodum multis Aromatibus herbisq; uarijs pariter contusis, optima Pharmaca & suauissima fieri condimenta consueuere, ita & literarum & disciplinarū uarietate, consommatur orator, atq; ex his, illum artium concentum & ueluti coniugale uinculum, adbuc inuiolatum perdurare, nemo tam hebes est, qui non facile perspiciat.





ARITHMETICA.

Si quis uim cupiat, numerorum noscere pulchram
Sæpius hanc artem perlegat, eximiam.



IRIS *laudibus* Mathematicas *artes*
Boetius *effert, neminemq; ad fastigiū*
seu perfectam Philosophiæ *cognitio-*
nem, sine his pertingere posse arbitra-
tur, tota autem ista disciplina, (quā qua
driuium uocant) circa quantitatem uersatur. Porro *quā-*
titas in magnitudinem & multitudinem distribuitur,
Rursus *quantitatum quædam per se, ut tria aut quatu-*
or, aliæ uero ad aliud referuntur, ut duplum & dimidi
um. Item magnitudinum aliæ permanent nec loco mo-
uentur, ut triangulus, linea, aliæ uero contra ut octaua
sphera, & harum illa quantitas quæ per se est, ad Arith
meticam, quæ uero ad aliud refertur, ad Musicam *spe-*
ctat, immobilis magnitudinis notitiam Geometria *tra-*
dit, mobilis Astronomia *pollicetur, unde ab his quatuor*
artibus tota Mathematicorum *disciplina, quadriuium*
appellatur. Sunt enim quatuor uiæ ad unum finem, ni-
mirum quantitatis cognitionem perducentes. Prima q-
dem quadriuij, Arithmetica *nuncupatur, quæ in* θεωρι-
κην & πρακτικην *scinditur, sub* Theorica *diuisio nu-*
meri paris & imparis, discreti & continui per se subsi-
stentis & relati ad aliud continetur, huc etiam figuræ
illæ in quas numeri sparguntur, pertinent, cuiusmodi
sunt, trigonus, tetragonus, & pentagonus, de quibus o-
mnibus Boetium *consule,* Practica Arithmetica *est, quæ*
numerum practice considerat, distribuitur in additi-
onem cui aduersatur subtractio, multiplicationem

cui

cui opposita est diuisio,& mediationem quæ a diuisione minime distinguitur, quemadmodum nec duplicatio a multiplicatione separata est. Mediatio enim per duo diuisio est, Duplicatio, per duo Multiplicatio. Deinde sicuti in Grammatica nulla omnino uox datur, in qua genus, species, qualitas, inuenire non sit, ita in Arithmetica nullus omnino occurrit numerus, cui non additio, abstractio, fractio, aut deniq; aliquid aliud locorum communium non accommodetur, Huius autem sciẽtiæ usus in numerando consistit, Quocirca non solum frugifera mercatoribus receptoribus, & id genus hominibus qui in calculis occupantur, uerum prorsus necessaria est Arithmetica, quemadmodum sacerdotibus præcipue tamen animarum curam habentibus, ut festorum mobilium & immobilium rationem teneãt. Propterea Rimauldus in sua summa inter cæteras artes quas sacris aligãdos scire oportet, iure optimo numerandi scientiam recenset. Superest num alijs artibus hæc scia aliquam impartiatur opem, inuestigemus. Illud certo certius est, nullum nos fructum ex Astronomia reliquisue Mathematicis disciplinis, absq; numerandi arte consequi posse. Quinam obsecro Arithmetices imperitus ex tabulis Alphonsii aut alterius cuiusuis qui ea de re scripsit, explicare se poterit? Præsertim cum tota tabularum cognitio, ex numerandi scientia depẽdeat. In Geometria quoq; & Arithmetica plurima tradũtur, quorum rationes numerorum proportionibus fulciri atq; corroborari debent. Item cum hæ quatuor artes circa quantitatem

uerſentur, quin ſibi mutuum præſtare poßint auxilium minime ambigitur, adhæc lectorem admonitum uelim, ex Mathematicarum diſciplinarum theorematibus quaſdam minime aſpernandas ſimilitudines, depromi poſſe, quæ noſtris Theologis quotidie uſui eſſe poſſunt, uerbi gratia, Sphera figura quæ perfectißima est & undiq; ſui ſimilis, ſapienti atq; ipſi deo Opt. Max. comparatur, qui omnia eſt in ſeipſo ac inſtar Spheræ neq; ſinem neq; initium habet. Similiter Tetragonus qui ob ſua latera equalia quocunq; decidat ſemper figitur, animi conſtantiam nobis commendat. Obliidq; uirtutem quadrata forma fortunam rotunda depictam conſpicimus, quod illa quadrata & ſtabilis ſit, hæc uero rotunda & facile mobilis. Poſtremo multa apud ſacrarum literarum interpretes & figurarum & numerorum inuenias miſteria. Quin etiam Mathematicarum artium beneficio arcana quædam adhuc mortalibus occulta, deprehendi poſſe, nonnulli non mediocris authoritatis uiri, aſſeuerare non dubitarunt, quod Nicolaus Cuſanus Cardinalis a ſe factitatum iactitat. Taceo quod Pythagoras unitatem eo quod omnium numerorum principium ſit & finis, & ex qua reliqui conſurgunt, deo ſimilē dicebat, cum ipſa ſola non aliter quam deus in ſe indiuiſibilis ſit, a qua binarium tanquam primam numeri productionem geneſim ſeu materiam primam ac elementorum matrem appellauit, trinitatē uero ipſis formis idealibus accommodabat, hanc quidem maſculam ſed dualitatem femineam aiebat, atq; ex his tribus numeris o-

mnes

mnes alios numeros generari, omnesq; in hos resolui, sic ex numeris omnia constare, & in numeros resolui dicebat. Ex prædictis illud quod in quauis arte disputatur, manifestissime patet, hanc etiam artem alijs disciplinis commodare quamobrem illum scientiarum nexum indissolubilem esse ineternum iubemus.




GEOMETRIA.

Metiri doceo, longissima, lata, profunda,
Præterea ingenuo plurima digna uiro.

ECVNDVM Arithmeticam, de qua nunc actum est, merito primum locum celeberrima & Mathematicarum nobilissima uendicat Geometria, quam nonnulli uix aliud esse quam terræ dimẽsionem autumant, quod uox Græca indicare uidetur, Græcis enim γῆ terra est, & μέτρος mensuratio reuera tamen longe aliter sese res habet, Geometria enim uniuersa quadrifariam scinditur. Quædam enim pars circa planicies, id est, longitudines & latitudines uersatur. Alia magnitudinem numerosam consyderat, Alia rursum circa magnitudines (quas uocant rationales) seu eas quæ solo animo comprehendi possunt, occupatur, Postrema de figuris solidis ex instituto tractat, Prima quidem illa pars, πρακτική, siue practica Arithmetica uocatur. Secunda ad Arithmeticam magis spectat. Reliquæ duæ speculatiuã Geometriam amplectũtur. Vsus autem huius scientiæ, in mensurationibus consistit, nec solum terræ, sed cuiusuis magnitudinis mensura, Geometriæ beneficio deprehenditur, quamuis propter terræ dimẽsionem potissimũ inuctam minime inficiemur, Illud enim exploratissimum est, quod Nilus totius orbis fluuiorum celeberrimus, solsticio æstiuo usque ad autumnale æquinoctium, ut refert Herodotus, totã Aegyptum quanta est, immensa aquarum mole inundat, adeo ut eius incremento Aegyptij uim ac penuriã futurarum frugum presagiant. Si enim in duodecim cu

bitos excrescit famem Aegyptus patitur. Quocirca cū Nili istiusmodi inundationes, nunc minuendo, alias immutando, nonnunquam signa quædam delendo, limites confunderent, quibus unusquisq; suum ab alieno distinguebat, iterum atq; iterum terrā metiri oportuit, quod in Hollandia Zelandia & alijs locis mari uicinioribus, quotidie contingere potest. Proinde illarum regionum hominibus, non solum hæc ars frugifera est, sed propter subitos rerum casus propemodum necessaria. Deinde per mensurandi scientiam, totius terræ ambitus ac superficies, ut in Cosmographia Ptolomei, uidere est, ingeniosißime distinguitur. Tum corporum orbiumq; magnitudines pulcherrime deprehenduntur, quæ res a primis utilem esse Astronomiæ Geometriam apertißime loquitur, Aliter enim stellarum magnitudines Astronomus deprehendere neutiquam poterit. Adhæc iurisprudentiæ non parum opis Geometria adferre creditur. Siquidem in Titulis, si mensor falsum modum dixerit, famil. herc. fin. regum. ac nonnullis de rerum diuisione, paragraphis, plurimæ quæstiones & materiæ occurrere quotidie possunt, quæ multo melius & subtilius a Geometrias perito tractabuntur. Taceo quod quēadmodum a Dialectica quantitatis noticiam hæc scientia mutuatur, ita uicißim illud predicamentum non parum illustrat, & ueluti eius usum nobis demonstrat. Postremo cum Geometria in formis in interuallis ac magnitudinibus consistat, haud dubie Geographiæ quæ orbis situm depingit, adminiculi plurimum subministrat,

eo potißimum nomine quod locorum distantiam recte docere Cosmographus minime ualeat, nisi proportionibus Geometricis tertium trianguli latus subducat. Finē dicendi faciam, sed prius adolescentes hoc unum admonitos uelim, illas nequaquam aspernendas figurarum similitudines, de quibus in Arithmetica aliquid dictum est, ex mensurandi scientia maxime depromi posse, quæ res supra & dicta omnia huius quoq; artis Harmoniam esse perspicue demonstrant.





MVSICA.

Quorum corda graues exurunt tristia curæ
Huc properent, hæc ars, tristia cuncta necat.


VANTO in praecio olim Musica fuerit, plurima ueterum monumenta declarant, nãq; Socrates admodum senex institui lira minime erubuit, & quod inter epulas liram recusasset Themistocles, indoctior habitus est, Omitto quod inelegantes & indocti Graecis ἄμουσοι uocentur, quasi a Musis & gratijs multum alieni. Nec origo metri, ut nonnulli fabulantur, Ioui. Verum deo Opt. Max. tribuenda est, qui hunc terrarum orbem & omnia quae in eo contenta sunt, certa ratione & uelu- ti metro quodam disposuit Harmoniam, inquit Pythagoras, in coelestibus, terrenisq; orbibus esse, nemo me Hercle, dubitat, Rursus idem, quopacto mundus consisteret, nisi certa ratione & numeris praefinitis ageretur. Deinde instrumenta certo modo & mensura quadam fiunt, tum in oratione quandam esse temperaturam oportet, sicuti omnium rerum Harmonia est. Quinetiã diuinus ille Plato, eo quod similitudo cunctis amica est, dißimilitudo odiosa, animam nostrã proportionibus Musicis compactam affirmabat, & e Musica genitam, ad Musices Originem coelum ipsum hac Musica mundana interueniente redire credebat. Magnum profecto deorum munus Musica, coelestis gaudij imaginem referens, coelitusq; demissa mortalibus uidetur, partim ut deorum laudes dulcibus modis celebrarent. Partim in eorum solatium data existimatur, ni-

mirũ

mirum ut tristes animi curas, cantus suauitate depellerent. Nihil enim tam proprium humanitatis est, quam remitti dulcibus modis adstringi contrarijs, nescio quo fato fiat, uim tamen occultā inesse canendi scientiæ crediderim, nulla enim omnino est ætas quæ nō dulcis Harmoniæ sono afficiatur, etenī uel infantes Musico Carmine oblectari experientia docet, dij quoq; ipsi, superiq; omnes Musica capi atque affici uidentur. Adhæc pugnantium animos in bello, tibiarum sonitu excitari uidemus, pretereo quod Dauid Cythara ludens plærunq; ab insania, ad sanos mores regem Saul reuocasse creditur. Qui de hac arte scripserunt, Musicam quandam naturalem quandam artificialem constituunt, iuuenes autem latere nolo, tam late nonnunquam Musicæ nomen capi, ut poesim intra suum ambitum complectatur quemadmodū hic commode sumitur. Tria enim sunt, quibus Musica perficitur, quorum unum ipsis instrumentis constat & per ea peragitur, alterū carmina fingit, tertium instrumentorū opus carmenue dijudicat, sub secundo membro artem Poeticam contineri exploratissimū est, atq; hanc Musicam esse crediderim, quam Plato rerum publicarum administratores discere uoluit, quādoquidem moribus recte fingendis præ cæteris scriptorū generibus efficacissimi poete sunt. Quin ipsa carmina, quosdam uirtutis igniculos habere, ac pietatis seminaria animis nostris infundere, ueritati consonum est, ubi enim mens semel huiuscemodi rebus honestis oblectari cœperit, perpetuo turpia auersatur. Deinde mirabiles

rerum adumbratores Poetæ, maxima cum admiratione quiduis ob oculos ponunt, qua in re Comicis palma tribuenda est, qui uitã humanã uelut in speculo contẽplandã exhibent, Nec Tragicorũ minor est gloria, q aduersis in rebus æquã nos seruare mentẽ eũdẽq; semp uultũ Socratico more, tũ fortunæ sæuientis tela fortiter contẽnere & floccipẽdere monẽt, Quocirca ad morũ probitatem suadendam atq; inducendam plurimum momenti habere, cum cæteri omnes Poetæ, tum maxime Tragici creduntur, ob idq; non parum adminiculi atq; ornamẽti morali Philosophiæ adiungere existimantur, Ad hæc pronunciationi ueluti Rethoricæ animæ multum gratiæ Musica obseruata proportio addit, & certis pedibus clausa periodus, Sileo quod Medici in dignoscendis pulsuũ motibus Musicam quandam adhibent. Id postremo adijciendum putaui, quod cum aliorum luculentorum authoritatem scriptorum, tum maxime poetarũ sacratißimas leges minime aspernari (ut notum omnibus est, qui iurisprudentiæ studio addicti sunt). Item e poetis & sententiarum spiritus, tum uerborum sublimitas atq; affectuum mouendorum ratio petuntur, quibus omnibus iurisconsulto sæpißime utendum esse, nemo est qui ignorat, Quæ quidem res supraq; a nobis dicta, huius artis utilitatem nec non Harmoniam apertissime testantur, At mirabitur fortaßis quispiam, cur tãtopere a plerisq; maximæ authoritatis uiris Musica laudibus extollatur, & nos quoq; omni preconio dignam existimemus, cum Lacedemonij maximi nominis

uiri ueluti inutilem, atq; inanes aures pascentem, Aegyptij ut uirorũ effeminatricẽ, procul a sua Republica esse iusserint, Horum uirorum authoritas ex his quæ in tractatu de Rethorica a nobis dicta sunt, facile debellatur. Vnicuiq; enim rei duplex inest ansa, altera boni altera mali, illa quidem bono uiro capiẽda hæc uero prorsus fugienda est. Nec interim inficias eo, cum poetarum tum aliorum hominum confracta Musica utentiũ, Carmina, quæ plurimum turpitudinis uoluptatis honestæ parum aut nihil habent, tanquam animi uigorem prosternentia, ac teneras adolescentum mentes, ad intẽperantiam inuitantia, a Republica bene instituta, una cũ artificibus esse remouenda, Quod si de hac Musica Lacedemonij aut Aegyptij loquantur, pedibus manibusq; (quod aiunt) in eorum sententiam descendo.





ASTRONOMIA.

Qui cupit astrorum uarios cognoscere motus
Virtutes uarias, ars docet ista uiros
Cognita quæ paucis naturæ arcana recludit
Et dici esse deos, efficit Astrologos.



VPEREST *ut postremam quadruuij partem quæ Astronomia nuncupata est, aggrediamur. Quanta sit huius scientiæ dignitas clarißimorum uirorum authoritate comprobari potest, primo Aristotelis in Ethicis uerbis ubi ille, cum fœlicitas mortalium in substantiarum eternarum contemplatione sita sit, itaq; illa quæ ad eam facilius & certius ducit scientia, reliquis antecellat nobilitate necesse est, istiusmodi est Astronomia, quæ intelligentiarum numerum ex orbium multitudine nobis ostendit, per quod tandem in Dei cognitionem compendiosiore uia peruenitur, & per consequens, super omnes expetendam fateri compellimur, hæc ille, cuius sententiæ suffragantur hi uersus Ouidi. Fœlices animæ quibus hoc cognoscere primum. Inq; domos superas, scandere cura fuit. Credibile est, illos pariter uicijsq; iocisq;. Altius humanis exeruisse, caput, Quibus uerbis Ouidius, istud studij genus, summopere esse laudabile clare indicat, nec iniuria quidem, hæc enim est illa scientia, quæ a rerum terrenarum contemptu, mentes nostras ad cœlestia spectanda euocat, efficitq; ut homines parum a dijs distare uideantur, imo dij quidam terreni naturalis potißimũ Astronomiæ beneficio non pauci habiti legũtur, Distribuitur autem Astronomia, in practicam & speculatiuam, illam Astrologiam uocant, hanc Astronomiam appellare maluerunt, atq;*

hæc

hæc fere Astronomia tradit, primi mobilis motum, & aliorum orbium syderumq; cursus ac obitus & his confinia, Astrologia uero circa iudicia & prognostica occupatur, naturamq; astrorum tam quam per se uel per accidens habent, considerat, quæ frigida, calida, fixa, masculina, fœminea, cadentia, ascendentia, longa uel breuia, quæ quibus arboribus, animalibus, dominentur, qui planetæ diurni, coniuncti, fortes, qui in exaltatione, gaudio, aliisq; affectionibus sint, de quibus Ptolomeum cõsule, Reliquæ, Astrologiæ partes iudicia complectentes, sunt illæ, quæ hominum genituras, quæstiones horarum electiones, tum mundi, tum aliarum rerum reuolutiones, planetarum coniunctiones, luminarium Eclipses, temporũ mutationes, aeris alterationes ac portentosam cometarum apparitionem patefaciũt. Et quã quam Astrologiam pleriq; damnant, ego quidem nec in totum sequendam nec prorsus reiiciendam iudicauerim, illam enim partem, quæ de interrogationibus, horarum electionibus, atq; huiuscemodi meris neniis tractat, tanquam à Christiana Religione alienam, omnino Christianis fugiendam existimo. Deinde illa uana putauerim, qui in prima Arietis parte horoscopum habuerint, principes erunt, reges, exercituumq; ductores, rursus qui in prima parte Aquarii, futurus est princeps gloriosus, & πολυχρονιος, id est, longæuus. Item quicunq; in nona parte libræ habuerit horoschopũ, is erit aleator conspicuus. Verumenimuero illam Astrologiæ partem, quæ naturali potius rationi quam fortunæ ar

bitrio


bitrio nititur, non solum reijciendam sed ueluti quandam Philosophiæ consummationem, ambabus quod aiunt ulnis, amplectandam crediderim, maxime si solum circa solis, lunæ ac principalium planetarum obseruationem uersetur. Nec illa quæ de planetarum aspectu dicuntur, prorsus friuola putanda sunt, uerbi gratia, quod in natiuitate alicuius sextilis planetarum aspectus minime probetur, trinus uero maxime, si enim penitius rem introspiciamus, authoritatem rationis habet, Hoc enim posteriori modo Planetæ oppositi, in naturis conueniunt, seu eiusdem naturæ, sunt, & sibi amici, quare prospera cuncta & amica nascenti homini adferre creduntur, Sextili uero aspectu oppositi naturæ oino sunt diuersæ, Quocirca quemadmodum ignis & aqua, naturæ plane contrarie, inter se pugnant, sic hoc modo oppositi planetæ diuersæ prorsus naturæ partum corrumpere nituntur, & in perniciem eius perpetuo aliquid moliuntur. Istud tamen ita accipite, non quod in nos aliquid astra urgere uelim, id enim aperte fidei nostræ repugnat, uerum ad bona quidem tempore natiuitatis prospera, dominantia sydera, ad mala uero infœlicia, propensiores mortales reddere sueq; naturæ participes aliqua ex parte facere, asseuerare ausim. Siquidem constat sub Ioue natos, cui non infœlici aspectu Planeta alius oppositus est, bñuolos humanos atq; prudentes esse, sub Venere uenereos, & rebus Venereis cæteris paribus plus alijs oblectari atque sollicitari experientia rerum magistra, docet, hosq; ut

plurimum, Iucunda iuuant tractæ per pocula noctes, ita de reliquis censendum Planetis. Deinde istud, nimirum astra in humanum corpus aliquid Imperij habere, authoritate Socratis comprobare possem, de quo, cum adolescens esset, Astrologus quidam (amicis forte inter rogantibus) aliquando fore respondit, ut in insignē nebulonem euaderet, hanc contumeliam non ferentes Socratis amici, rem ei omnem iam ætate prouecto narrarunt, quibus ille uera prædicabat nec est cur ei succenseatis, talis enim futurus eram, nisi Philosophiæ me tradidissem. Sileo quod Philosophus, in libris nisi fallor, Metheoro. inferiora corpora superioribus lationibus gubernari dicit. Interim tamē scriptum est, uir prudens dominabitur astris, facileq; illam fati infœlicitatem superauenerimus, si rectam rationem omnibus in rebus ducem sequamur, nosque Philosophiæ formandos cum Socrate præbeamus. Quam frugifera sit hæc scientia, ex iam dictis satis patet, etenim is qui infœlicem Horóscopum habuerit, sibi diligentius esse cauendum atque magis aduigilandum, quo infœliciore fato natus est, intelligit, & cum contraria contrarijs curentur, iuxta medicorum regulam, contraria malis ad quæ natura propensus est, agendo, naturæ maleficium enecabit. Quantum Sulpitij Gali Astronomiæ Scientia profuerit, Historiæ testantur, Nam cum Luc. Pauli Bellum pro Republica gerentis legatus esset, ac serena nocte subito Luna defecisset, eamque ob causam perterritus, Populi Romani exercitus, manus
cum

cum hoste conſerendi fiduciam amiſerat, at ille de cœli ac ſyderum ratione peritiſsime diſputando, metum omnem excußit, alacremq; ire in hoſtes fecit, uictorq; ex illo conflictu populus Romanus euaſit. Adhæc cum anni & menſium deſcriptionem habere nos oporteat, alioquin preteritarum rerum memoria periret, multaq; ob id intempeſtiue & inconſulte fierent. Proinde utilẽ mortalibus eſſe Aſtronomiæ cognitionem, ne dicam neceſſariam, in conſpicuo eſt, Omitto quod per ſyderum cœleſtium notitiam futuræ tempeſtates, annorum fertilitas atq; ſterilitas preuideri poſſunt, ſcriptum enim eſt Erũt in ſigna tpa & annos, quod non inepte interpreteris, temporum diuerſitatem, ipſa ſydera diuerſiſsimo ſuo motu efficiunt, Nobis quoq; iſta commoda hæc ars præſtat, quo tempore ligna incidenda ſunt, quæ cariem minime paſſura ſint, quo tempore equi emiſſarij equas, tauri uaccas, inire debeant, quando boues porcos & id genus animalia, mactari conueniat, quando ſemina terræ mandanda, & cætera generis eiuſdẽ. Tum illud ſeptimum quemq; a natiuitate annum periculoſum eſſe, Aſtrologorum tradit ſcola, nihilq; eo anno nisi aut ardui tentandum aggrediendumue monet, Et mediusfidius medicis prorſus neceſſaria Aſtronomia eſt, etenim citra hanc ſanguinem minuere aut pharmaca adminiſtrare, abſq; ſummo ægrotantium periculo nequibunt, ut merito impoſtores non medicos huius ſcientiæ rudes dicas, contra peritus deus quidam minus recte ualentibus eſt. Quando enim periculum maius

lus eminet nouit, curamq; ægroti Paulo diligentiorem tūc temporis habendam, admonet. Steriles profecto ad modum Arithmetica & Geometria erunt, nisi ad Astronomiam dirigantur, quæ earum usum explicat atq; demonstrat, Cosmographis quoq; perutilis hæc scientia est, hinc enim Zonarum, circulorum rationem, locorum distantiam fœlicißime perdiscunt. Omitto leges esse nō paucas de horis & mensibus loquentes, quibus adde descriptionem diei artificialis de qua suo loco in Iure tractatur, quæ omnia, exacte intelligi citra huius artis opē nullopacto poterunt. Postremo sicuti Medicina ita Astronomia ad titulum illum de fri. & mal. cx. fœliciter tradendum, plurimum confert. Non enim raro uir a coniuge separari, uel contra a uiro uxor petit, an Iure, consultus medicus, iurisconsultum, Astronomia adiutus docebit, Porro quemadmodum suam opem multis artibus libenter impartitur hæc disciplina, ita uicißim aliunde opis nonnihil emendicat, a Grammatica sermonem congruum a Dialectica definiendi diuidendi argumentandi deniq; distincte atq; ordine docendi peritiam, mutuatur, a Rethorica mouendorum affectuum rationem quēadmodum reliquæ Mathematicæ, ab Arithmetica & Geometria mensurandi scientiam depromit, Quocirca neminem tam alienum esse a communi sensu crediderim qui non facile artes liberales inter se indissolubili nexu connexas intelligat, atq; omnino Harmoniam earundem esse oportere.





γνῶθι σεαυτόν

Inspiciendus homo nudus si noscere quidnam est,
    Optas fortunæ tollenda & munera quæuis
Ens homo diuinum, diuina est arte creatum,
    Partibus innumeris donatum & dotibus almis
Hisce ualens, bona non dicenda, capessere solus
    Deinde frui, post fata bono per secula summo
Si spectes animam, numen uenerabile quoddam,
    Est homo, uile pecus, spectes tantummodo corpus.



AEPIVS apud me mirari soleo uiri præstantissimi, cum animo & corpore constemus, cur corpus quod fluxum caducumq;, plurimi, animũ uero, qui plane diuinus est, quam paucissimi colant. Homines (me Hercle) præposteri atq; peruersi sumus, qui id quod deterius, pluris facimus eo quod preciosius est. Deinde haud sane intelligo qui fieri possit, ut plæriq; mortalium summo, ad quod omnes homines nati sunt bono, frustrentur. Quantum coniectura ducor, duabus potissimum de causis id accidit, tum quod pericula quibus obiecta est uita humana ignoremus, tum quod nosipsos non cognoscamus. Nouerim me domine (inquit Augustinus) nouerim te. Periculosa sui ignorantia, teste Platone, Tertio de legibus & præsentissima Hominis pernities, atq; omnino prudentia singularis, Homini ad salutem necessaria est, quia sui cognitionem docet, sine qua (ut dit Bernardus) nemo saluatur. Notum uobis illud, Homo cum in honore esset non intellexit, ideoq; comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. Tam salubre præceptum istud, γνωτι σεαυτον, ut in templo Apollinis aureis literis scribi meruerit, nec ab Apolline ut nonnulli fabulantur, sed a deo optimo maximo proficiscitur, qui cuipiam quærenti quanam ratione æternam beatitudinem consequi posset, si teipsum inquit cognoueris. Cæterum quando homo dicatur seipsum cog

nos-

noſcere, inueſtigandum eſt, Alij alios cognoſcendi modos recenſent, quorundam iudicio homo ſeipſum cognoſcit, ſi intelligat, qd ipſe ſit, qualiter moueatur, quid ſit in ſubſtantia, quid in affectibus ſiue quos affectus habeat, utrum ſit ſanguis, ut Zeno credidit, aut eſſentia αυτοκινιτος, id eſt, ſeipſam mouens. Præterea ſeipſum cognoſcere dicitur, quando nouit quæ agenda quæ cauenda ſint, quid ſibi deſit, quid abundet, quid emendandum, ut uituperabile, quid ſectandum, ut laudabile, Marcus Tull. de hoc præcepto in Thuſculanis loquens ait. præceptum Apollinis quo monet, ut quiſq; ſeipſum cognoſcat, non præcipit ut membra noſtra figurā, ſtaturam, noſcamus, neq; nos corpora ſumus, ſed cum dicit noſce teipſum hoc eſt animum tuum, corpus enim quaſi uas animi ceu quoddam receptaculum eſt, animo tuo quicquid agitur, Hoc a te agitur, rurſum idem in libro de finibus bonorum, Iubet nos Pythius Apollo noſcere noſmetipſos, ut naturam noſtri corporis animiq; nouerimus ſequamurq; eam uitam quæ rebus ipſis perfruatur, Plato in Charmide interpretatur ut idem ſit quod temperate uiue, quaſi noſcere ſeipſum temperantia quædam ſit. Mea quidem ſententia non inconcinne interpretari poteſt, ut reſpondeat illi, eſto quod audis, ut uidelicet cognoſcat quiſq; quid ſibi agendum ſit, quo ſui nominis titulo ſatiſfaciat, quaſi Apollo templum intrantes moneat, ut ſuo nomini reſpondeant, Princeps noſce teipſum, te eſſe ποιμενα λαων, hoc eſt paſtorem populorum, cuius tutelæ ſubditorum ſalus commiſſa eſt,

nouerisq; boni pastoris esse tondere oues,non deglubere, Episcopus nouerit seipsum rerumq; cœlestium cõtemplationi uacet,quo suo digna nomine faciat,Bos ad arandum æquus adhibendus ad currum,ut inquit Pyndarus,sic quisq; debet eam uitæ rationem capessere, ad quam natura appositus est,namq; ut scite præcipit Horatius,tu nihil inuita facies discesue minerua. Profecto (si consiteremur) nullum præceptum hoc utilius esse potest,quod sic in uniuersum ad omnia accommodari ualeat.Id obiter adolescẽtes admonitos uelim,q̃uis uarios seipsum cognoscendi modos recensuerimus, is tamen in proposito tanquam commodior queritur, per quem homo animi principaliumq; sui partium naturam,dignitatem,nobilitatem,officia,tum potentias quasdam,dotesq; cognoscit,quæ sibi soli propter illas partes conueniant,quod si hunc cognoscendi modum,manifestum fecerimus,utcumq; officio nostro functi fuerimus, ita enĩ quantum homo a beluis distet , quantoq; ens diuinius ac nobilius sit,facile uidebit,ac sibi aliter quam animalibus rationis expertibus, quo suæ nobilitati respondeat,uiuendum intelliget. O cæcas hominum mentes o pectora cæca,quantis sudoribus totum terræ orbem nõnulli peragrant,quo res nouas & prodigiosas uideant cum secum multo maiori admiratione digna circumferant,non enim per deos immortales,homine quidquam admirabilius est, summum miraculum sunt singula hominis membra,singulæ uires, singula organa,& super omnia admirabile quiddam caput hominis est , in quo
tam

tam uaria tanta arte distincta reperiuntur, ut nec Physicus nec Medicus naturam satis adsequatur, quod si animæ interiora & secretiora ingrediaris, propiusq; cūcta intueri lubeat, plurima longe maiora quam ingenij humani uis nostri corporis carcere inclusi comprehendere queat, deprehendes, ex quibus omnibus facile quisq; coniectare potest, seipsum cognoscere rem esse dignißimam, in quam mens elaboret humana, quamobrem ne quid hac in re desideretur, naturæq; humane exactissima cognitio habeatur, nonnulla ex Physica præsertim de anima libris tum ex Platone quæ præposito conferrre arbitramur, in medium adducam aliter enim nec uoti compotes fieri nec hominis absolutam notitiam tradere poterimus.





PHYSICA.

Quid iuuat externas ſtudio perquirere tanto
  Res Arabum, cur quas ſuſpicis indus habet
Te miranda puer, magis & præclara docebo
  Quo tibi ſis notus, noueris atq; tua
Quo pius erga deos, homines, ſis atq; parentes
  In quo noſtra ſalus tota repoſta iacet.

ATVRALIS Philosophia quæ tãtum munus, nimirum, sui perfectissimã nobis cognitionem pollicetur, circa res naturales uersatur, sunt autem res naturales, omnia illa corpora, quæcunq; ex materia & forma tanquam ex formis essentialibus constãt, cuiuscemodi sunt cœlum elementa & cætera generis eiusdem, Angeli tamen res naturales non sunt, propterea quod ex naturis non componantur, sed puri quidam sint actus seu formæ immateriales, Et rerum quidem naturalium quinq; sunt genera, Elementa Animalia, Vegetabilia, mineralia, & mixta imperfecta Paucis hoc adolescentibus dictum uelim, quanquam ferre omnia quæ in Physica traduntur, aliqua ex parte ad sui notitiam faciunt (præcipue tamen illa quæ in libris de anima, cum paucis quibusdam quæ in libro primo de materia & forma dicuntur) id, uberrime & fœlicissime præstant, ne tamen in immensum crescat liber, uel ea quæ de sensibus tã interioribus quam exterioribus traduntur, studiosis per se uidenda Physicisq; tractanda relinquemus, illaq; dumtaxat quæ maxime hominis naturam explicant, & sine quibus, propositum nullo pacto ostendi potest, in medium proferam. Istiusmodi sunt ea quæ per intellectum & uoluntatem homini adesse cognoscuntur, & in eo solo reperiuntur. Porro cum non solum ob nostri uerumetiam periculorum (quibus uita nostra obiecta est) inscitiam, æterna beatitudine

defraudari

defraudari nos contingat, pauca hanc ad rē pertinētia de appetitu sensitiuo, qui innumeris mortales periculis obijcit, distinguendo eum ab intellectiuo adijcientur, præsertim cum hæc quoq; ad sui notitiam non parum momenti habeāt. Sunt autem intellectus & uoluntas potentiæ duæ nobilissimæ per quas dei imaginem in nobis gerimus eiq; similes reddi æternorumq; bonorum participes fieri possumus, & quidem p has potentias homini soli in suis actionibus libertas, præmium & pœna mors & uita æterna proponuntur, Deinde mediante intellectus agentis uirtute cuiusuis rei notitia haberi potest, & absq; illo nullum omnino ens intelligibile est, Tum p intellectū homini concessum est, ut non tantum uoces audire sed & uocum significatus percipere possit, quod reliquis animalibus denegatum est, etenim licet Galinæ certa uocantis acclamatione ad pastum accurrāt, & nonnulli equi, ita edocti sint, ut nihil nisi nomine Cæsaris aut Regis faciant, id tamen non accidit, quod res significatas intellectu appræhendant, uerum quod quadam inueterata consuetudine illorum phantasie impressum est, ut hoc uel illud agant, quocirca cū Homini soli uocum scripturarum, & mutuum ad placitum significantium (quibus mutus aut alij qui uerba distincte pronunciare nequeunt) utuntur, res significatas intelligere competat, Hominem solum disciplinæ capacem esse & docere & doceri posse sequitur, Omnis enim doctrina per quasdam uoces aut signa uice uerborum fungentia, in non ualentibus loqui, ad placitum

citum significantia fieri debet, uoces autem ad placitum significare est, secundum primi instituentis uoluntatem aliquid representare. Item homini soli componere & diuidere per affirmationem & negationem conceditur. Hoc est prædicatum subiecto intercedente uerbali copula coniungere, uel ab eodem remouere, uerbi gratia, si hominem esse animal hominem nõ esse Brutum dicamus, per intellectum conuenire uel non conuenire prædicatum subiecto cognoscimus. Nec dumtaxat unam affirmationem coniungere sed plures multasq; licet, ex quo enim scis hominem esse animal & non lapidem eum quoq; substantiam esse oportere per intellectum adsequeris, & quicquid quispiam tacitus secum mente reuoluit, exprimere mediante eodem intellectu uerbis ad id exprimendũ excogitatis aut respondente scriptura potest, nihilq; omnino in animo concipimus quin exprimere atq; explicare ualeamus, quæ res falso eos putare dilucide declarat, qui recte rem aliquam se intelligere affirmant, sed mentem explicare minime posse, si enim rem probe intelligerent, utique quod sentiunt facile exprimerent, atqui cum solo intellectu per affirmationem uel negationem componamus uel diuidamus, soli intellectui non alij potentiæ, inesse ueritatem uel falsitatem exploratissimum est, Dum enim is affirmationem ueram format in eo est ueritas, dum falsam falsitas. Itẽ soli homini suam nobilitatem & præstantiam intelligere, a natura datum est, nõ enim bruta suas uires aut robora norunt, ut uere solum hoẽm in lumine, cætera ani

malia

malla in tenebris uersari dicas, Quandoquidem per naturale intellectus lumen, quo beluæ carent, omnia discernit atq; dijudicat, ens enim intellectus obiectum est ideo quicquid entis appellatione continetur, ab intellectu apprehendi ualet, Nec substantias quidem incorporeas excipio, etenim uel ipsius dei notitiam per quandam abnegationem, Hoc est abijciendo quicquid imperfectum est, intellectus, adsequitur, & cum ens ipse intellectus sit, a seipso intelligi potest, ut semel dicam, omnis rerum dignitas aut perfectio sub intellectus iudiciū cadit, eiq; discernere bonum a malo & inter se bona cōferendo quod alio excellentius & perfectius sit, dignoscere concessum est, non aliter quam uisus inter colores, quis cui præferendus sit, dijudicat, & cum homo nihil seipso nobilius ac præstantius animaduertit, propter tātum dei munus lætitia quadam afficitur, quod cæteris animantibus negatum est, Gaudiū enim ex eo nascitur, quod quis se aliquod habere bonum agnoscit, quā obrem si ignoret nequaquam gaudere poterit, Hinc fit ut reges duces principes, quibus cum bona nascuntur, nec graues laborum sudores unquam experti sunt, multo minus gaudere uideamus quā olim pauperes, qui nocturno diurnoq; labore pararunt, quod ad uitam transigendam sufficiat, cuius rei non alia causa est, quam quod illi suam fœlicitatem ignorent. Etenim quemadmodum prosperæ fortunæ, emolumenta minime intelligit, qui aduersæ incommoda non sensit, ita nec quanto diuitum uita suauior sit quam pauperum is nouit, qui

grauia

grauia & innumera paupertatis mala non tulit, neutiquam igitur beati sunt Principes, ut uulgus existimat, nemo enim beatus (iuxta Prouerbium) qui nescit, quare soli sapientes beati dici merentur. Quæ res ad studium adolescentes animare, & ueluti currentibus calcar addere debet, quanto enim uirtutis asperior radix est, tanto fructus dulcior erit maiorq; animi uoluptas sequetur, & qui Radicis Scientiæ amaritudinem non gustauit, Haud dubie, dulcedinem fructus non habebit, At quemadmodum soli Homini multa propria sunt, eiq; soli competunt, ita solus gratias agere summo rerum opifici deo & potest & debet. Hactenus quæ potentiæ intellectiuæ beneficio, nimirum, intellectus soli Homini adsunt, recensuimus, Restat ut de altera potentia & de eius effectibus aliquid dicatur. Est autem uoluntas potentia ab intellectu distincta, quam Deus potentiæ cognitiue indidit, ut per eam tum illa homo amaret quæ per intellectum bona esse iudicaret, tum noxia & suæ naturæ aduersa citis uelis fugeret, quæ uis soli homini alijs animalibus rationis expertibus nequaquam data est. Porro id aduertendum, quod uoluntas alio nomine potentia uolitiua seu appetitus intellectiuus uocatur, ut differat a sensitiuo & brutali qui ad spiritualia inidoneus est, & quem cum beluis communem homo habet, & in hoc illis similis est. In homine talem potentiam reperiri, experientia docet, etenim potest homo ea uelle, nolle, amare, quæ neutiquam sensus apprehendit iudicium, uirtutes enim amamus uitia uero odio prosequimur

mur

mur, quæ tamen minime sub sensum cadunt, atqui sensi tiuo appetitu, nos huiuscemodi neutiquam desiderare, uel ex eo manifestum est, quod dumtaxat illa prosequa tur, quæ sensus conuenientia iudicat. Quocirca homini alium quẽdam appetitum inesse oportet, per quem ea quæ sensus iudicium excedunt, ac naturæ suæ conueni entia inimicaue essent, dijudicare posset, atq; hæc qui dem fugeret, illa amore quodã prosequeretur, & cũ uir tus appetitiua modo huc modo illuc aĩal rapiat, ad pro sequutionẽ quidem, si conueniens, ad fugã sin minus cõ ueniens obiectũ sit, inde fit ut multiplex paßio seu uari us appetendi modus in appetitu sensitiuo reperiatur, si enim æstimatiua obiectum conueniens proponit, appeti tus statim ad illud, animal pellit, & quædam generatur paßio, quæ amor uel illius rei concupiscẽtia appellatur Cæterũ hæc paßio, ab alijs distinguitur, res enim prius amamus deinde prosequimur, postea oblectamur ac in il lis tandem conquiescere solemus, cessat autem hæc paſ sio gaudium, quando estimatiua sua spe frustrata est, & id quod bonum credidit malum esse experitur, tum q; tres aliæ paßiones reperiuntur quæ circa obiectũ na turæ animalis inimicum uersantur, uidelicet, odium, tri stitia, dolor, Rursus quædam sunt aliæ in appetitu sen sitiuo a prædictis diuersæ paßiones, originem tamen ab his ducentes, utpote, desperatio, audacia, timor, ira quæ ad appetitum irascibilem prædictæ autem ad con cupiscibilem pertinent, Itaque duplex appetitus sen sitiuus in animali reperitur. Alter concupiscibilis

qui circa obiectum congruum conueniens aut disconue niens, bonum aut malum simpliciter uersatur, sub ea ratione qua ab estimatiua proponitur. Irascibilis uero qui circa obiectum bonum uel malum non quidem simpliciter, sed sub conditione difficultatis aut ardui inuenitur quo fit ut diuersæ illæ paßiones, spes desperatio, audacia, timor ira exoriantur, Propterea animali. Hic appetitus irascibilis a natura inditus est, ne mox ab aliqua re persequenda leui metu desisteret, sed contra audentius uadens, malis fortiter resisteret, Quocirca deerat ad bene esse animali is appetitus, nec concupiscibilis sufficiebat, Atq; ex prædictis colligere est, quod quēadmodū in appetitu sensitiuo est amor quidam carnalis, sic in intellectiuo est spiritualis seu desiderium spirituale, quo uoluntas ea quæ per rationem bona iudicat, amore prosequitur, & ad illa consequenda uiribus totis mouetur, uerbi gratia, cum intellectus uirtutem bonam iudicat & homini utilem, appetitus intellectiuus amore quodā erga eam afficitur, eiusq; desiderio commotus, prosequitur, in eaq; adepta sese oblectat, atq; recreat, contra cum uitia hominis esse præstantia indigna, reputat, odio quodam auersatur ac detestatur, propterea in appetitu intellectiuo, spes quoq; & audacia reperiuntur, dum enim intellectus uirtutis iter arduum & asperum cogitat, quemadmodum reuera est, iuxta illud (tendit in ardua uirtus) uoluntas nihilominus constans & inuicta permanet, ardua labore uinci facile posse confidens, uirtutemq; homo amare pergit, & in eam, totis quod aiūt

nervis,

neruis,fertur,quod si rei difficultate prostratus huma-
nus appetitus a tramite uirtutis deflectat (ut proh do-
lor) quotidie in ignauis hominibus accidere uidemus,
desperatio & timor gignũtur.Iram quoq; in intellecti-
uo appetitu inuenire est,ut cũ aliquid esse malũ intelle-
ctu iudicamus,uoluntas tamen malo cedere recusat, &
aduersus illud insurgens debellare summo cognamine
nititur, ut si quis ab hostibus aut feroci belua petatur,
fortiterq; aduersus impetum & insultus beluæ resistẽs
imminens periculum a suo capite depellat,per hanc pas
sionem iram fieri creditur.Duplex autem huiusmodi,al
tera de qua nunc meminimus,altera de qua paulus,At-
q; ex his compertissimum esse arbitror,quæcunq; in ap
petitu sensitiuo reperiuntur,in intellectiuo reperiri pos
se,in hoc tamen discrimen est,quod ubi in appetitu sen-
sitiuo passiones,in intellectiuo affectiones seu affectus
dicuntur,siquidem spiritus angelici siue ipsi angeli,de-
syderant deum amant,deo oblectantur, atq; aduersus
prauos irascuntur, nequaquam tamen amoris gaudij
tristitiæ aut istiusmodi passionum participes sunt, & p
consequens sub eo nomine in appetitu intellectiuo ho-
minis minime reperiuntur, secundum quem angelus si-
milis hominibus est, Proinde hæc omnia intellectus abs-
q; passione in se continet,quæ sensitiuus appetitus cum
passione habet,& affectiones siue affectus non passio
nes uocantur, passio enim corporalem immutationem
designat,& imperfectionem arguit,unde plerumq; in-
ualescentibus huiusmodi corporalibus passionibus,

cernere est, hominis faciem et totum corpus, secundum eas disponi, illorum enim qui uehementer irascuntur, facies ardere atq; oculi ignē spirare uidētur, Quod minime latuit Homerū, Μενεος δὲ μέγα φρενες αμφι μελαιναι πιμπλαντο οσσε δέ οι πυρι λαμπετόωντι εικτην, & quāq; istæ affectiões in appetitu intellectiuo sint, istiusmodi tamen uultus dispositio minime conspicitur, nisi simul in appetitu sensitiuo paßio existat, uoluntatis paßioni seu potius affectui respondens, ita enim solet ex abūdantia affectus qui in intellectiuo est, paßio in appetitu sensitiuo respōdens generari, quippe uidere est eos qui nullius mali conscij sunt, ex gaudij spiritualis affluentia uultu esse Hilari, qui illam letitiam attestatur, unde recte illud Gallicum uulgo iactatur uerbum, (bonne uie embellit & faict lhomme iolit) præterea hoc inter appetitus sensitiui paßiones & intellectiui interest, quod secundum illas ille appetitus uere patitur, uoluntas uero potentia multo nobilior, nec naturaliter ab obiecto patitur, mouet se potius, quam mouetur. Hinc fit, ut actus uoluntatis operationes, minime paßiones uocentur, Nec uoluntas dumtaxat in suos actus, sed in prius dictas sensitiui appetitus operationes, imperium exercet, est enim appetitus sensitiuus uoluntati secundum naturam subiectus, non ita tamen ut nihil omnino poßit, nisi illa iusserit, etenim suapte natura hominem ad aliquod obiectum ad quod pertractus fuerit, rapere, contempto uoluntatis imperio ualet, uoluntati tamen inhibere ne ad id homo moueatur

(si uisum fuerit) facile conceditur, non aliter quam superior Sphera inferiorem motu raptus trahit, interim tamen motu proprio fertur, id in se quotidie quisq; experitur, singulis enim fere momentis humanum pectus uarijs affectibus obnoxium, nunc huc nunc illuc rapitur, qui tamen affectus contra uoluntatis imperium ex sensitiuo appetitu oriuntur. Quinetiam (proh dolor) semp ad ea quæ intellectiuo appetitui inimica sunt sensitiuus appetitus fertur, & ea licet fœda & turpia prosequitur, ac in his sese oblectat atq; recreat, nimirũ, uel (Teste Lactantio) amaritudo uirtutibus commixta est, uitia uero uoluptate cõdita sunt, illis offensi hac delinitì, in præceps ferimur, ac bonorum specie falsi, mala pro bonis amplectimur, Cæterum intellectiuus appetitus, naturæ prorsus contrariæ dumtaxat illa bona, quæ incorporalia eternaq; sunt, iudicat, cuiusmodi uirtutes uirtutumq; exercitationes quæ demũ mortales beare & mentem nostram implere possunt, At beluinus ille appetitus, semper uoluntati negotium facessit, omnemq; mouet lapidem quo eam sub sua iuga mittat, atq; ex dña spreto rerum ordine, ancillã reddat, quo spectaculo (quid fœdius) uel dici uel excogitari posset, quod uoluntas regina potens, de regno in seruitutem cadat, & in manus tam crudelis hostis ultro se dilaniandam tradat, qui dijs hominibusq; inuisos mortales reddit atque in pecudes degenerare facit, tum æterna beatitudine defraudat. Quocirca curæ esse debet uirtutis laudem, & præmia expeten-

 tibus,

tibus, ut immane istud monstrum, uolũtatis imperio sub ijciant, iustamq; seruitutem seruire cogant, quo quidem in negocio frenis quibusdam & calcaribus, ut locuntur opus est, frenos habitus quosdam consuetudine confirmatos appellamus, quibus beluæ nimirũ appetitus sensitiui impetus prosternamus, & iuxta rectam rationem moderemur, in nascuntur autẽ isti habitus, crebro boni operis exercitio, cum enim uoluntas animosa & constans, appetitus sensitiui iterum atq; iterum imperium sequi recusat facile hac ratione impetum beluæ cohibet & intra rationis limites continet, ut nihil plus æquo deinceps tentare audeat, & quanto frequentius id factũ fuerit, tanto firmiores habitus erunt, Cæterum per Calcaria laborem frigus famem intelligimus, quemadmodum enim equus facile quocũq; adhibitis calcaribus impelli potest, ita per laborẽ famẽ frigus minimo negocio seuæ beluæ tela infringuntur, ac insultus arcentur, Cũ q; pauperibus huiusmodi patienda sint, nullum in eos imperium appetitus sensitiuus seu corpus ipsum habet aut saltem non tantum quantũ in illos qui abunde quo suam libidinem impleant, habent: nec perferre ea quæ pauperes coguntur, unde uulgo recte dicitur, ad uirtutem paupertas fenestra est. Atq; ex his multum inter se differre appetitum sensitiuum & intellectiuum cõpertißimum esse arbitror, quare plura hac de re dicere supersedebimus. Nonnulla tamen dicenda supersunt, quæ per uoluntatem in solis inueniuntur hominibus, quorũ unum est, quod homo suorum actuum dominus sit, liberrima

rima enim uoluntas est, propositoq; bono nulla necessitate ad id amandum uel prosequendum adstringitur. Nec astrorum uirtutes quantumuis ualidæ ad aliquid urgent quanquam in corpus ipsum seu sensitiuum appetitum agere posse, minime inficiamur, in uoluntatē uero cum nihil sit corporale, nec corpori immersum, sed potentia mere libera, nihil omnino imperij astra habent, & cum hominem solum in suis actionibus liberum dicamus, eum solum mereri uel demereri posse fateamur necesse est, meritum enim uel demeritum premium aut pœna, ibi reperire est, ubi agendi libertas est, si uisum fuerit, uel non agendi sin minus uideatur, ita ut possit qui aliquid agit, si uelit non agere, ex quibus facile intelligere est, Lupum, ursum & id genus animalia, quæ hominem deuorant uel perimunt, nequaquam promereri supplicia, propterea quod naturaliter non libere agant quod autem suspendi aut capite truncari experiētia doceat, id fieri in criminis detestationem, non quod promereantur, credēdum, quamobrem sacratissimæ leges sanctissime constituerunt, furiosum homicidam puniri non debere, quandoquidem nihilomagis in suis actionibus (quam animalia rationis expertia) liber est. Et quemadmodum frustra igni præcipitur, ne urat, cum id naturaliter agat, ita præmia proponenda non sunt, ubi libertas non est, ob id enim proponuntur ut ad aliquid prosequendum extimulemur, ad quod si naturaliter moueremur, frustra præmijs inuitaremur, cū ad id nō moueri non possemus. Itaq; solus homo qui libere agit rerum

 futu-

futurarum promißione inultatur, reliqua demum animalia ad obiectum dum præsens est, rapiuntur, atq; illud dum adest, dũtaxat appetunt. Præterea homini uoluntatis beneficio, datum est, ut solus infiniti boni capax sit, qui nulla re corporali, quemadmodum nec uolũtas, satiari potest, cum enim ipsa potẽtia sit, minime materiæ immersa, & a corpore prorsus separata infinitæ æternæq; capacitatis est. Cæterum quæcunq; sub cœlo sunt, finita quidem illa, solus Deus infinitum bonum est. Proinde hominis uoluntas nullis rebus corporeis, quantumuis excellentibus, (etiam si uniuersæ in eam influant) sed deo solo ac uirtutibus satiari, potest, secus de appetitu sensitiuo censendum, infiniti enim ad finitum nulla proportio est, atqui infinitum quiddam est ipse appetitus intellectiuus seu uoluntas, sensitiuus finitum ideoq; ille infinitæ. Hic uero modicæ capacitatis est, quo fit ut statim impleri poßit, impletus concupiscere desinit, Quocirca quoad hunc appetitum sensitiuum quem communem cũ beluis homo habet, facile satiatur minime tamen quoad intellectiuum per quem ab animalibus rationis expertibus differt, angelisq; similis est, O uanas hominum curas o pectora cæca, qui opes honores & cætera generis eiusdem, tanquam summum bonum expetunt, quibus tantum beluinus ille appetitus impletur, interim uirtutem uirtutumq; authorem deum ipsum negligunt, in quo mens solo tuta est, in eoq; solo satiari potest. Satiabor (inquit Psalmista) cum apparuerit gloria tua, & ut semel dicendi finem faciam, soli ho

mini

mini summum bonum Deum amare, soli illi adhærere per uoluntatem concessum est, etenim beluæ quæ solum appetitum sensitiuum habent, per illum dumtaxat ea quæ sensus bona iudicat, amore prosequuntur, atqui Deus nullo sensu percipitur, quare nec amari potest, homini uero quemadmodum per intellectum sensus iudicium suprimentem, deum cognoscere, ita per uoluntatem amare permittitur. Porro amoris proprium est amantem rei amate adherere facere, & inter se unire, ita ut ex duobus unum fiat, siquidem uinculum quoddam amor est, seu uiscus, quo inter se amans & amatum conglutinantur, hincq; dubio procul fit, ut qui uehementer se amant, eandem animam in duobus corporibus habere dicantur. Itaq; præclarißimum istud munus, quo nec præclarius ullum, inter cætera intellectiui appetitus seu uoluntatis beneficio, Homini datum est, ut Deum infinitum bonum amare, unum cum illo fieri, ipsum prosequi, in eoque adepto oblectari poßit, quantoque Christo perfectius unitus homo fuerit, tanto uehementius gaudebit, hæc de intellectu & uoluntate dicta sufficiant, quæ ad sui cognitionem plurimum facere atque sine his, nullo pacto absolutam hominis notitiam haberi posse, nemo sane mentis inficiabitur, etenim proprium, rei cuius proprium est, naturam maxime explicat. Porro quæ soli homini per intellectum ac uoluntatem competere ostendimus propria Homini sunt, Quamobrem mirum in modum naturam

eius explicare, indubitatũ relinquimus. Illa autem quæ de sensitiuo appetitu adiecta sunt, ad sui quoq; cognitionem conferunt, tum pericula quibus uita humana obiecta est, admonent. Verum quia parum erat ea nosse, quemadmodum morborum causas medico, nisi remedia inuenta essent, ob id quoq; rationem qua beluinus ille appetitus refrenari & rationi subijci poßit, perdocuimus, Est itaq; homo ut ex supradictis patet, ens quoddam de cœlo demissum infinitis dotibus præ cæteris animalibus præditum quinetiã cætera animalia in gratiam eius creata sunt, & finita quidem illa at homo ratione uoluntatis infiniti boni capax est in infinitum mereri & in infinitum beari potest, atq; his utcunq; uobis cognitam hominis naturam arbitror. Cæterum ut hominem a uertice usq; ad calcem qualis est depingamus & ueluti in speculo contemplandus exhibeatur, quædam præter iam dicta (ut pollicitus sum) tum ex Platone, tum ex alijs doctis uiris in medium adducam, per q̃ futurum est, ut absolutißima hominis notitia habeatur, nec quidquã hac in re amplius desideretur, Prodigiosum quidem animal homo est, multis diuersißimis partibus compactum ex anima ueluti ex numine quodam, ex corpore ueluti muta pecude, siquidem corpore usq; adeo reliquo brutorũ generi non prestamus ut in multis corporis dotibus inueniamur inferiores, secundum uero animã adeo diuinitatis capax homo est, ut angelicas mentes anteuertere siue præteruolare ei liceat & unum cum Deo fieri, Ita, (ut si corpus homini addi-
tum

tum non fuiſſet) numen, contra ſi mens oblata pecus e-
rat, & hæ diuerſæ omnino naturæ partes uarias in cor
pore humano excitant tragœdias, appetitus enim ille
beluinus uoluntatem ad inhoneſta ſemper ſolicitat, ua-
rijsq; periculis mortales obijcit, & in omne ſcelus præ-
cipitare totis neruis nititur, quandoquidem corpus ut
mortale, ita rebus corporalibus oblectatur, contra aïa
ſuæ nobilitatis memor, ſurſum ſemp ſpectat, & immorta
lis immortalia, cœleſtis cœleſtia amat, ſimile enim ſimili
bus facile capitur, Porro ſi anima corporeis ſordibus
immerſa penitus fuerit, facile a natiua generoſitate de-
generabit, Quocirca in hoc labor in hoc cura noſtra re
ponatur, ut ordine rerum ſeruato anima tanquam rex
quidam dominetur, concordia Harmoniaq; illa quæ
quondam ante primi parentis peccatum fuit, ſeruetur,
quam affectus nonnulli praui ira, inuidentia, & huiuſ-
modi animi morbi diſſoluere conantur, quæ omnia diui
nus ille Plato in Timeo animaduertit, ubi filios deorum
ad ſui ſimilitudinẽ, duplex aïæ genus in hoïe fabrica-
tos fuiſſe ſcribit. Alterũ diuinũ & immortale, alterum
mortale uarijsq; pturbationibus obnoxiũ: quarũ prima
ſit uoluptas, eſca malorum, ut ait, proxima, dolor, fuga,
impedimẽtumq; bonorũ, deinde metus atq; audacia, cõ
ſultores amentes, quibus accedit iracundia implacabilis
Tum ſpes blanda cum irrationabili ſenſu, amoreq; om-
nium inuaſore, Hæc ille, additq; in eiuſmodi pertur-
bationibus coercendis, uitæ beatitudinem conſiſtere, &
eos qui iſtas ſuperaſſent, iuſte uicturos iniuſte autem, q
ab

ab his uicti essent, & diuinæ inquit animæ, id est rationi, tanquam regi in cerebro, uelut in arce ciuitatis nostræ, sedem statuit, corporis uidelicet parte æditissima, cœloq; proxima, tum minime bruta: quippe quæ osse sit pertenui, neq; neruis neq; carne onerata, sed sensibus intus forisq; longe munitissima: ut illis quasi renunciantibus, nihil tumultus in Republica cooriretur, quod non protinus ille persentisceret, At mortalis animæ partes, hoc est affectus, ut quæq; rationi uel morigera est, uel obstrepera, ita ab ea semouit, etenim inter ceruicem & diaphragma partem animæ constituit, fortitudinis atq; ire participem, affectum uidelicet: seditiosum quidem illum & cohibendum, at non perinde brutum, ideoq; mediocri interuallo, a summis imisq; semouit: ne uel nimia uicinitate Regis ocium perturbet, uel infimæ plebis contagio corrupta, simul in eum coniuret. Vim Porro concupiscibilem, quæ esculenta & poculenta appetit quaq; in uenerem impellimur, infra præcordia procul a regia in iecur & aluum relegauit: ut quasi ferum quoddam & indomitum animal, illic ad præsepe habitaret, propterea quod ea uiolentissimos excitare motus consueuit, minimeq; præsidis imperio obediens esse, Huius infima pars quam pecorina quanq; rebellis, uel illa pudenda corporis portio, in qua potissimum tyrannidem obtinet, documento esse potest, quæ membris ex omnibus una, frustra reclamāte rege, obscœnis, motibus subinde rebellionem parat, atq; diuinum animal hominem ad inhonesta semper sollicitat. At consultor ille diuinus

nus, sublimi in arce præsidens, memor suæ originis & nobilitatis, nihil sordidum, nihil humile, cogitat, sceptro autem insignis eburneo, Propterea quod nihil non rectum imperet. In cuius fastigio aquilam insidere scripsit Homerus, quod ad cœlestia subuolans, quæ humi sunt aquilinis oculis despicit. Postremo aurea redimitus corona, aurum enim in mysticis literis sapientiam fere designat. Circulus autem, perfectam & omnibus numeris absolutam, Hæ enim sunt propriæ regum dotes, primũ ut quam plurimum sapiant, ne quid peccent per errorem: tum uti quæ recta sunt, ea modo uelint, ne quid contra animi iudicium perperam corruptéq; faciant, quarum altera qui careat, non regem sed latronem esse existimato, rex autem iste propter æternam legem, sibi diuinitus insculptam, opprimi quidem potest, corrumpi aũt nisi sua sponte non potest, nec quicquam pernitiosum neq; penitendum committet, uerum summa moderatione & tranquillitate gerentur uniuersa, si reliqua plebs imperium non recuset. Ac de affectibus quidem nonnihil stoici & peripatetici diuersum sentiunt. Quãquam illud inter omnes conuenit, ratione non affectu uiuẽdũ, illis enĩ placet, ubi affectibus q̃ sensibus proxime excitantur, tanquam Pedagogis usus, ad iudiciũ uerumq; expetendorũ ac fugiendorũ discrimen pueneris tũ prorsus esse relinquẽdos, id enĩ nõ solũ nõ utiles esse ad sapiẽtiã uerũetiã pnitiosos, atq; ob id pfectũ illũ sapiẽtẽ oĩbus huiusmodi motibus tanq̃ morbis aĩ uacare uolunt, uixq; humaniores quidam primos illos impetus

rationem

rationem præuertentes ſapienti concedũt, quos illi phã taſias uocant, at peripatetici non extirpandos affectus ſed coercendos dicunt, nonnullumq; eorum uſum docẽt ob idq; a natura inditos opinantur, uti quædam ad uirtutem incitabula atq; exhortamenta: ſicuti fortitudinis iram, induſtriæ inuidiam & ſic de reliquis. Socrates autem in Phedone Platonis cum nihil aliud eſſe Philoſophiam quam mortis meditationẽ putet, hoc eſt, ut animus quantum poßit ſe a rebus corporeis & ſenſibilibus abducat, transferatq; ad ea quæ ratione non ſenſibus percipiuntur, cum Stoicis equidem ſentire uidetur. Peripateticorum tamen opinionem minime damnandã duxerim, ut ut ſit, in hoc ratione nõ affectione uiuendũ inter ſe Philoſophi conueniunt, illud porro ſemper pre oculis habendum nullos eſſe tã uiolentos affectus, quin a ratione compeſci uel ad uirtutem deflecti queant.

Quocirca illam pernitioſam opinionem in aliquorum animis minime reſidere uelim, ut ſe putent ad uitia cogi Propterea quod nonnulli leues & rerum imperiti huiuſmodi motus ſequuntur, aperte enim uanam eſſe ſupra a nobis dicta in tractatu de Aſtronomia oſtendunt, non quod negauerim alios aliis ad uirtutem capeſſendam magis idoneos, uerum id euenit ex aſtrorũ influxu uel progenitoribus uel educatione uel ex ipſo corporis habitu proficiſcitur, non ob id tamen quiſquam abiectiori eſſe debet animo, quod corpus admodum rebelle & indomitum nactus ſit, imo tanto acrius ad boneſta eniti habet, exiſtimans ſibi non eſſe interclusam ad uirtutem

piam sed uirtutis uberioris materiam oblatam nec enim
propterea quod largita est cuipiam bonam mentem na
tura, melior is est, sed fœlicior & obligatior, nullus
tamen adeo naturæ fœlicis ut non abunde habeat ad-
uersus quæ luctandũ est, qui maxime tamẽ turbatur, ma
xime aduigilet oportet. Quædam profecto uitia corpo
ris habitum comitantur, uerbi gratia, sanguinei multũ
& plus quam alterius cõplexionis uiri, mulieribus uo
luptatumq; studijs infestantur, Cholericum, ira, feroci-
tas, maledicentia, comitatur, flegmaticum inertia, som-
nolentia, Melancholicum, inuidia, tristitia, amaritudo.
Nonnulla autem ex his cum ætate aut inualescunt aut
remittuntur, quemadmodum libido in iuuenta, profusio
temeritas, in senecta tenacitas, morositas, auaritia, Sunt
& quæ sexui adnata uidentur, ut in uiro ferocitas, in
muliere uanitas, in uiduitate cupido, hæc a Medicis ple
nius discere potes, interim tamen fit, ut deus ueluti pa-
ria faciens, morbum animi dote quapiam diuersa com-
penset, hic quippe propensior ad uoluptatem, minime ta
men inuidus, minime iracundus, alius pudicitia insignis
uerum elatior ac iracundior & ad rem attentior. Item
nonnulli reperiuntur qui fatalibus quibusdam & pro-
digiosis uitijs sollicitantur, nimirum, furto, sacrilegio,
homicidio quibus omnibus summo conamine resistendũ
Rursum nonnulli affectus ita sunt uirtutibus uicini ut
periculum sit, ne uicinitate fallamur, at hi corrigẽdi &
ad uirtutem deflectendi sunt, exempli causa, est, quispiã
excandescentior, inijciat animo frenum erit alacrior &
erectus

erectus minimeq; languidus erit liber ac simplex, est alius Paulo tenacior adhibeat rationem & frugalis erit. qui blandior est, fiet comis & commodus, qui perfractus constans: qui tristior seuerus: qui ineptior morigerus: eundem in modum reliquis leuioribus animi morbis medendum est, Vides itaq; lector optime hanc unicam esse ad beatitudinem uiam, primum ut teipsum noris, deinde ut præcipiunt peripatetici, non affectui sed rationi obtemperes, agasq; honesta fugiens turpia & Christiano homine indigna, atq; hæc de sui notitia dicta sufficiant, Superest, num aliam præter sui cognitionem adferat naturalis scientia utilitatem, inuestigemus, Equidem longe uberior Physicæ usus est, quã nonnulli autumant qui omnem rerum naturalium disputationem solum ad animi ornamentum & honestam uoluptatem pertinere uolunt, nec quicquam ad boni uiri mentem fingendam facere, quod falsissimum esse, si rem proprius intueri lubeat, facile intelligemus, Rerum quidem naturalium bona fide perquisitio, postquam alicuius animum occupauerit, nullum sordibus uilibusq; curis locum relinquit, deinde ad pietatem nos naturalis Philosophia inuitat, dum Ciconiæ, Galinæ, erga pullos studium & curam oculis nostris subijcit, Quocirca prudentissime ueteres Iurisconsulti illum titulum de agnoscendis liberis excogitasse mihi uidentur, pœnam minantem illis hominibus qui pietatis officia negligerent, quæ animalia rationis expertia studiose obseruant. Item nos illud Aposto. implere naturalis scientia iubet, omnis anima sit subdita

principi

principi, & ducibus ab eo missis, qui enim principem suum non reuerebuntur subditi? si aues suum regulum senio confectum sedulo circumferre ex Physica didicerint, quinam in suum populum principes, in suos seruos domini non sæuire desinent, quos hæc scientia docuit omne genus hominum simili ortu produci, dotesq; illas quibus homo beluis præstat, omnibus mortalibus communes esse, & reuera si confiteremur, nihil (quod ad ueram fœlicitatem attinet) plus cæteris infimæ plebis hominibus reges aut Principes habent. Nec gradus dignitatum sublimior, deo chariores nos reddit, sed uitæ melioris actus (ut docent Canones) gratiorem deo faciunt seruitorem, & qui iustior & humilior is Deo proximior erit, Discant itaq; deponere supercilium qui alios præ se, uix homines putant, qui in seruos sæuissimam tyrannidem exercent. Eisdem enim omnes constamus elementis, eundem spiritũ ab eodẽ principio carpimus eisdem seminibus orti sumus, omnes eodem fruimur cœlo, eque uiuimus, eque morimur, serui sunt, imo hoĩes, serui sunt, imo conserui, tantũdẽ in utrosq; fortunæ licet, et tã illi liberi eẽ possunt, q̃ nos serui, quẽadmodũ monumenta ueterum declarãt, nemo enim est qui nesciat, qua ætate hecuba seruire cœpit, qua Crœsus, qua Darij mater, qua Diogenes, qua Plato ipse, recte igitur Deus nõ contemni seruos, imo tanq̃ nos amare præcipit, & sanctissime Iura Ciuilia dominorum in seruos necis potestatem sustulerunt. Adhec ingratitudinem omnium uitiorum (teste Seneca) parentem auersari mortales natu-

ralis ſcientia monet. Dum dotes quibus præ cæteris ani malibus donati ſunt, recenſet, Taceo quod ea, ad quorum conſpectum uulgus ſtupet, cuiuſmodi ſunt aurum argentum uilipendere facit, dum uiliſsimos eſſe lapides oculoſq; non mentem paſcere docet, cum enim oculus longe uilior animo aut mente pars ſit. proinde amens, ſit oportet, qui uirtutes, præſtantiſsimam hominis partem paſcentes, uiliſsimis auro & argento lapidibus oculos tantum paſcentibus poſtponat, præſertim cum animum ita uirtutes paſcant ut illis recreetur atq; oblectetur, aurum uero quendam cruciatum ſecum habet, δειλότατομ τι γαρ ὁ ϖλουτος. Author Ariſtophanes, id eſt, timidiſsimum quid Plutus eſt, Poſtremo ſi penitius cuncta inſtroſpiciamus, Phyſicam eo tendere deprehendemus, ut cognitis huius mundi calamitatibus & miſerijs quibus mortales obnoxij ſunt, ad cœleſtē patriam feſtinemus, curamq; omnē ad animum transferendam diſcamus, huncq; excolere uelimus, in quo nulla opera fruſtra collocatur, quippe in quem quicquid collatum eſt immortale & ineternum permanſurum ſit, quēadmodum ipſe immortalis eſt. Hæc & plura diligens lector ex rerum naturalium ſcientia decerpere poterit, quæ ad leniendos animos, ſæuiſsimas cupiditates refrenandas, plurimum momenti habent, ut iure optimo dicatur, fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas. An autem naturalis Philoſophia, alijs quoq; diſciplinis frugifera eſſe poſsit, inquirendum. Profecto cum ad Grammaticum Poetas Hiſtoriographos Oratores enarrare

pertineat

pertineat, ut suo loco monuimus, Physicam Grammatico utilem esse, nemo iure dubitat, quotumquemq; quæso probatum authorem reperias, qui Physicalia suis scriptis non admisceat, quæ tamē nisi à Physico exacte intelligi nunquam poterunt, Medicinæ quantum opis atq; ornamenti adferat, res notior quam declaratione egeat, eadem enim fere Physicus & Medicus tradunt. Siquidē Medicina uniuersa in speculatiuam & practicam scinditur, Rursus Speculatiua in contemplationem rerum naturalium & earum quæ contra naturam sunt distribuitur, Physicus quoq; ex professo res naturales tradit, item de non naturalibus somno & uigilia & pluribus alijs rebus ad Medicinam spectantibus tractat. Deinde morborum causas absq; naturali scientia nequaquam cognoscere Medicus ualebit, quemadmodum nec illa quæ de sensibus tam interioribus quam exterioribus dicūtur, & cætera generis eiusdem, quod facile Medicinæ periti animaduertunt. Quocirca (si confiteremur) non solum frugifera Medicinæ naturalis scientia, sed prorsus necessaria est. Non eo tamen inficias, quin alium longe finem Medicus, alium Physicus sibi proponat, Physico enim satis est, si rerum naturalium & non naturalium generationem doceat, medicus uero ad sanitatem cuncta refert, etenim ars est Medicina quæ rationem sanitatis seruandæ & amissæ recuperādæ demonstrat. Ad hoc morali Philosophiæ quemadmodum & Theologiæ perutilia ea sunt, quæ de uoluntate in libris de anima traduntur, hic enim multis in

locis de uoluntate agitur & utrum in actionibus suis libera sit, inquiritur, ac plæreq; huiusmodi quæstiones incidere possunt, quæ nec recte intelligi nec subtiliter tractari a theologo poterunt, si eorum quæ in libris de anima, de uoluntate traduntur, ignarus sit. Omitto quod similitudines quædam a proprietate animalium desumuntur, quæ & multum gratiæ & uenustatis non parum habent, ac Theologiæ plurimum ornamenti & adminiculi, non raro adiungere possunt, uerbi gratia, deus in sacris scripturis nonnunquam pellicano comparatur, quemadmodū enim Pellicanus, suo sanguine pullos nutrit, quo facto mortem sibi conscit, ita Christus in gratiam hominum preciosissimum sanguinē fudit, hosq; truculentissima morte e faucibus erebi eripuit, Aquila quo pullos uolitare perdoceat, sub alis adsumit, animosos quidem & magnanimos facile ad locum destinatum perfert, meticulosos uero & degeneres labi perire q; sinit, ita uirtus segnes ac ignauos homines odisse, cō tra solertes & laboriosos, amare, honoribus augere & tandem beare solet, istiusmodi exempla nusquam non apud mysticarum literarum interpretes obuia esse possunt. Item tractatus causarum tam Theologo quam Medico commodat (ut omnibus notum est) qui Theologiam uel Medicinam a limine duntaxat salutarunt. Frugifera quoq; causarum cognitio futuris iuriscōsultis est, in contractibus enim causa materialis, efficiens, formalis, finalis, aßignatur, (ac inde argumenta ducuntur) atq; harū notitia mirum in modum cōtractuum naturam explicat,

plicat, atq; illustrat. Tum plurimæ quæstiones ex cognitione causæ propinquæ & remotæ dissoluuntur, quemadmodum hi qui in iure aliquandiu uersati sunt, facile percipiunt, Deinde affectuum ratio minime iurisconsulto negligenda est, magnus enim eorum in iure respectus habetur, iuxta. l. quidquid calore. ff. de re, iuris, hi tamen sine Physica & Dialectica absolute cognosci non possunt. Quinam quæso iurisconsultus, fœliciter se explicare poterit? super illis mulieribus consultus quæ partum medicamentis abegerunt, nisi ex Philosophiæ aditis quibus modis id fieri poßit, & an fieri ualeat, de prompserit, quemadmodum legitimus censendusne sit qui undecimo mense natus est, ex medicina, aut si mauis ex naturali Philosophia perdiscit, lex est propter autoritatem. ff. de sta. homin. postremo si (ut res aliquando postulat) reum aliquem homicidij peragere, iurisconsultus habuerit, id minime fœliciter præstare poterit, si non ex uulnere illato aliquis perierit, rationibus e Philosophia desumptis docere potuerit, nec id quispiam sanæ mentis inficiabitur, quin circa illũ tit. de fri. & mal. plurima concurrere poßint, quæ omnino ex Physicorum & medicorum rationibus decidenda ueniunt, quẽadmodum quotidiana declarant iudicia, sæpius enim super coeũdi impotentia atq; huiusmodi rebus consulẽdi medici sunt, proinde utilißimã esse iurisconsulto tam medicinam quam naturalem Philosophiam exploratißimum arbitror, & clarißime dicta iam a nobis demonstrant, Quibus accedat Marci Tullij authoritas, qui ta

bulas legum duodecim, omnium Philosophorum Bibllo thecas uocat, quod in his omnes Philosophiæ partes re positæ & recōditæ sint. Quocirca omnis Philosophiæ, tum Physicæ (quæ una Philosophiæ pars est) gnarus sit oportet, qui in Pandectarum libris, qui ex illis tabulis ceu fontibus manarunt, fœliciter uersari cupit, atq; per hæc Harmoniam quoq; naturalis scientiæ ad reliquas esse, indubi tatum relinquimus.



ETHICA.

Quiſquis, is es, qui optas fœlicem degere uitam
  Atq; frui ſummo poſt tua fata bono
Huc ades atq; uiam uirtutis diſce beatam
  Et quæ mortales poſt ſua fata beant
Huc properent iuuenes, morum præcepta docebo
  Implere & ueris corda tenella bonis.



THICA, quam Latini moralem Philosophiã uocãt, efficacißima aiorũ nostrorũ medicina est, tanto reliquis disciplinis præstans quãto animus corpori antecellit, Hæc est illa scientia quæ uitæ dux, uirtutum indagatrix, uitiorum expultrix a luculentis scriptoribus nuncupatur, cuius documentis, qui fuerint imbuti facile casus contemnẽt humanos asperaq; fortunæ sæuientis tela floccifacient, Cum igitur hactenus de uarijs artium generibus actum sit, ne extremum (tanquam ab incerti Poeta) a nobis uideatur esse derelictum, aliquid de ethica dicere operepręcium fuerit, ad quam tanquã ad scopum reliquæ disciplinæ diriguntur, frustra enim leges, frustra Medicina, frustra Grammatica, Dialectica & reliquæ artes, si animus suo fine nimirum uirtute defraudetur, quid leges inquit Horatius moribus absq; proficiunt inanes, hæc autem potißimum moralis Philosophia tradit, humanarum rerum regimen tum uirtutum & uitiorũ oppositorũ rationes explicat, & in quo demum fœlicitas humana sit sita, perquirit (ut semel dicam) fere in ea de uirtute & uitio agitur, Deinde quia nemo nisi uolens bene agit, tractatur de uoluntate de libero arbitrio, de consilio, de electione, de fortitudine & eius affinibus de temperantia & intemperantia & huiusmodi rebus, Secatur autem in Polyticã, Oiconomicam

cā & Monasticā, in Polytica de regni regimine de magistratibus ac similibus rebus agitur. In Oiconomica de regimine patrisfamilias de familia, de iure seruorum. Item liberorum erga parentes, tum mariti erga uxorē & contra uxoris erga maritum, de uirtutibus & uitijs oiconomorum quæ omnia ad ius pertinent, cum partim ex his omnibus & pro his conflatum sit. Porro rerum istiusmodi quæ in Ethica traduntur, adolescentes per ætatē minus capaces sunt, in quorum gratiam maxime hanc suscepimus prouinciam, de his igitur plura dicere supersedebimus, ne teneros adhuc eorum animos grauibus rebus oneremus, præsertim quod ea res plerumq; iuuenes a studijs auertere soleat, uerumtamen ne merito de nobis conqueri posse uideantur, horum omniū loco quæ de hac arte dicenda essent, tutissimum iter, & quo ad fœlicitatem minimo perueniatur negocio, eis demonstrabimus, in qua quidem adipiscenda, tam huius scientiæ quam reliquarum artium fructus consistit. Vnus enim nostri studij quauis in disciplina finis est, ueritatis inquisitio, hoc est, ut de rebus recte sentiamus, ne in rerum iudicio cecutientes mala pro bonis eligamus, Præcipuus tamen & ultimus omnium disciplinarum finis scopusue fœlicitas est, seu beatitudo. Cæterum medium quo hanc adipiscamur, uirtus est, quippe Augustino teste uirtus est, qualitas animi, qua recte uita instituitur & ad eam quæ uere beata est ascenditur, atqui uirtus absq; scientia rerumq; multarū cognitione, haberi neutiquam potest, Quocirca nonnulla præcepta facilem &

literarum parandarum & uirtutis adipiscendæ rationem perdocentia, excogitauimus, carmine quidem ut memoriæ facilius mandarentur. Deinde ne operam nostrā rerū imperita iuuentus desideraret, rem præceptis inuolutam sententijs uarijs manifestauimus, & doctorum uirorum authoritatibus comprobauimus, faxit deus optimus maximus, ut iste noster conatus ī Reipublicæ utilitatē cedat. Nunc inuestigandum restat, num moralis quoq; philosophia cum reliquis disciplinis aliquā affinitatem habeat. Illud imprimis constat, tam liberales artes, quā reliquas omnes inutiles fore, imo pestiferas, si in cor prauis moribus imbutum inciderint, quid etiam dij boni, (ut dicebat Diogenes) stultius, quam mala Vlyßis perquirere & sua ignorare, quid iuuat in Cythara cordas ad concentus aptare, mores interim habere inconcinnos, quid solem, lunam, ac stellas intueri placet, & ea quæ ante pedes sunt, non uidere, ridiculum plane honesta & iusta suadere & facere eadē negligere, quocirca illam artē quæ mores recte formare docet utilißimam esse fateamur oportet, cuius usus non in uana ostentatione est, sed morbis ai uarijs & grauibus medetur. Deinde cum eosdem olim fuisse constet qui & morum & dicendi præcepta traderent, arti dicendi adminiculo esse posse moralem philosophiam minime ambigitur, Qui pro decore laudauerit aut accusauerit aliquem orator si illius philosophiæ partis rudis sit, ex qua uirtutum rationes, per quas homines laudibus extollimus, & uitiorum scaturigines depromuntur: Non

fit mihi

ſit mihi ueroſimile in Verrem tam docte tam prudenter Ciceronem dicere potuiſſe, ſi non ex Ethices libris uitiorum formas tam probe perdidiciſſet, nec tam ſplendide tam diſerte Archiam poetam laudibus tollere potuiſſe, niſi uirtutum genera ex Ethices monumentis hauſiſſet, quod Iuriſconſulto Ethica, frugifera ſit, documẽto eſt quod regna urbes domos familias deniq; ipſas ad optima quæq; dirigit atque inſtruit, eadem fere Ius Ciuile profitetur, Iuris enim præcepta ſunt, honeſte uiuere alterum non ledere Ius ſuum cuiq; tribuere, atqui honeſte uiuere nihil aliud eſt, quam uitam omnibus uirtutibus excultam traducere, equidem Iuriſconſultus ſe optimis moribus exornare, alterum non ledere non facile poterit, ſi illius partis philoſophiæ ignarus ſit, quæ morum probitatem inducit. Adhoc cum fruſtra ſint leges niſi legum ſatellites exiſtãt, quopacto ad rerũ gubernacula admotus, ſuo munere recte fungetur, niſi eam Ethices partem quæ πολιτική appellatur, perdidicerit.

Poſtremo cum ipſum Ius nihil aliud ſit quam boni equiq; ſcientia, lege prima. ff. de Iuſtit. Iur. unde quæſo æqui boni honeſtiue rationes deprompſerit, niſi ex Platonis legibus, niſi ex Ariſtotelis Ethices Libris, ex quibus plurima ueteres Iuriſconſultos eruiſſe compertiſſimum eſt, quantum ad Leges naturæ attinet, e quibus uel Cicerone authore omnia Iura Ciuilia manarunt, multo plenius apud Philoſophos quam Iuriſconſultos explicantur, quinetiam omnes Leges, ex intimis Philoſophiæ penetralibus deſumptas eſſe, ueritati

consonum est, Theologo hanc Philosophiæ partem maxime commodare exploratissimũ arbitror, nam is quoq; de uirtutibus & uitijs de uoluntate & similibus rebus agit, quæ in morali Philosophia plenissime docẽtur Porro quemadmodum alijs artibus hæc scientia adminiculo est, ita uicissim aliũde opem implorat, a Grammatica sermonem congruum, a Dialectica disserendi subtilitatem, tum diffiniendi diuidendi atq; argumentandi rationem mutuatur, quæ uero ad mores fingendos pertinent, & saniores quasdã sententias, cum ex quibusuis scriptoribus tũ præcipue Historiographis, moralis Philosophus, depromit. Siqdẽ historia uitæ magistra est, et præter res gestas quas docet ad uitã tã suã q̃ aliorũ instituẽdam, nõ parum momenti habet, dũ uaria uariorũ consilia, euentus, exempla uaria casus sapiẽtiæ & temeritatis refert. Nec morali dumtaxat Philosophiæ, uerum iurisprudentiæ, Historia perutilis est, Haud sane intelligo, quopacto titulus de ori. iuris multaq; a Pompeio ibidem dicta fideliter intelligi poterunt, citra exactam ueterum historiarum cognitionẽ. Quam turpiter hallucinatus est accursius, in uoce uindicias nunc a uitellio seruo ortam somnians, nunc uerba solemnia quibus quondam in danda libertate usi fuerint homines asserens, facile ei hunc scrupulum ademisset, lectus Liuij liber secundus ab urbe condita, qui uocabulum istud a uindicio seruo quodam, indice coniurationis filiorum Bruti & Tarquiniorum lectorem perdocet, is enim primus uindicta liberatus dicitur. Non raro in huiusmodi

errores Historiarũ imperiti incident & in re lumine cla riore caligabunt, Omitto, quod quo tempore quisq; cæsarum floruerit, qui leges condiderunt, scire expediat, alioquin quid hunc Cæsarem ad talem legem ferendã, nunc illum ad aliam condendam induxerit & num huic congruat seculo, intelligere nequaquã poterimus, Multæ enĩ sunt leges in corpore iuris quas aut prorsus tollere aut his aliquid detrahere addereue utilissimum foret, nec id mirum uideri debet, alia enim tempora alios mores postulant Ca. non debet de consang. & affin. & quemadmodum alij morbi alijs remedijs curari uolunt, ita alia ætas alias leges poscit. Quod de Cæsaribus dictum a nobis est, id quoq; in iurisconsultis prætoribus tribunis plebis, quorum responsa, edicta, plebiscita, plurima in pandectis redacta sunt, obseruari, optarim, nimirum, ut Iurisperitus quisnam uel iurisconsultus cuius respõsum legit, quis prætor cuius edictum reperit, qua forma concipiatur, edictum, quis tribunus plebis, cuius plebiscita memoriæ produntur, iurisprudẽtie conjecratus exploratum habeat, His enim cognitis innumeri iuris articuli alioquin nube pleni fœlicissime enucleantur & Pomeridiana luce clariores redduntur, qđ perpẽdẽs Holoander, uir undequaq; doctissimus, propterea & ingeniosissime & succinctissime, sub codicis finem, Catalogum quendam Consu. in gratiam iuris studiosorum, subiecit. Postremo id de disciplinarum Harmonia addẽdum duxi, non solum inferiores artes sibi mutuo opem præstare, uerum iurisprudentiam Theologiæ summo-

pere

pere frugiferam esse, etenim Theologia quoq; si res penitius introspiciatur, nos honeste uiuere, alterum nō lædere, ius suū unicuiq; tribuere iubet, q̄uis id ex instituto iurisprudentia doceat. Deinde sacerdotes maxime curā animarum habentes, ius pōtificium, scire teneri, minime ambigitur, cuius rei testis in sua summa rimauldus. Ad hæc plurima in titu. de usuca. de rerum diuisione institu. alijsq; Iuris Ciuilis partibus, traduntur, quæ omnia Theologis necessaria sunt. Quinā obsecro isti homines res ne aliquæ a confitente, iuste poßideātur, intelligent nisi ex iurisconsultorum libris quæ ad hanc rem pertinent, perdidicerint, Innumeræ eiusdem farinæ ambiguitates quotidie contingere possunt, super quibus iurisprudentiæ rudes a confitente consulti sacerdotes, aut turpiter intersilere aut tam suæ quam confitentis animæ periculo respondere debebunt, proinde iurisprudētiam summæ Philosophiæ, (quam Theologiam uocant) adminiculo esse posse, apertißime constat. Nec minus quidem Theologia Iurisprudentiæ commodat, etenim omnes leges si confiteremur, non ex Platone Demosthene aut Philosophis, primum deprompte sunt, uerum ex ipsius Moysi tabulis, alijsq; sacræ scripturæ locis, ex quibus & Platonis Leges & saniores Philosophorum sententiæ, unde (iura nostra prodeunt) desumptæ sunt, Legisse enim sacra Biblia tam Platonem quā plerosq; Philosophos facile sua scripta loquuntur, Quocirca, quemadmodum aliarum originem nosse rerum earundem uberiorem intellectum dabit ita sacra uidisse Biblia no-

strarum

ſtrarum legum fontes plurimum lucis Iuriſprudentiæ attulerit, quo fit ut in plurimis iuris articulis, maxime ubi Doctorum incerta eſt reſponſio, aut pertinax digladiatio, opinionem quæ ſacris literis conformior eſt, tanquam equitati magis amicam omnino ſequendam iudicauerim, atq; per hæc ſupraq; dicta omnia, Deo habentur gratiæ, uoti compotes facti ſumus, nullus enim tam alienus a communi ſenſu tamq; Hebes aut ſtupidus eſt, quin omnium ſcientiarum Harmoniam eſſe & inuicē opem præſtare nō intelligat. Proinde iterum atq; iterum adoleſcentes ſtudioſiſſimi rogo obteſtorq;, ne prius uos ad grauiora ſtudia conferatis, quam tum in liberalibus artibus tum in politioribus literis diu multumq; uerſati fueritis, quod (ſi feceritis) ſpero futurum ut nec me monuiſſe, nec uos paruiſſe peniteat. Nrorū laborū primitias boni cōſule lector, & minus uenuſtū ſermonē, hoc tā emūcto ſæculo fortaßis indignū, æquo feras animo. Scis q̄ difficile in tāta præſertim rerum varietate Latine loqui, quibus quæſo potius obtemperes? Nam pleriſq; non uulgaris eruditionis uiris, in genere maxime Didaſcalico, uerba facilia & cotidiana probātur, alijs nihil niſi tumidum & redundans gratum, ſed quid τα πχςεγα perſequor, ne Iupiter quidem omnibus placet, non etiam hi ſumus qui captum popularem ſed magis utilitatem iuuenum uenamur, Equidem quēadmodum grauibus in rebus ieiuna, frigida uerba, nimime ferenda ſunt, ita in leuibus potißimum in docendo, magnifica illa uerborum pompa, & eloquentiæ faſtu

tur-

turgens sermo, nunquam mihi placuerunt;
proprie tamen loqui in quouis di-
cendi genere laudo, &
e scholis (ut plæ-
riq; alij)
om-
nis barbaries excluderetur, optarim.
Bene Valete Lectores
Candidi.

Primo capiti [illegible] sunt [illegible] ad
corpora [illegible] laudatissi-
mum est
Orphanus qui caret patre Et matre
[illegible]


ERRATA.

Fol.pri.le.αἴχιστον,pro ἔσχιστον.In tractatu de Grã matica Latina.fol.iij.pagina.i.circa finem ibi latini ser mones lege sermonis.In tractatu de Dial.fo.Vi.pag.ij. circa medium ibi explicare poterit le.explicari.&fo.ix pa.i.circa finem ibi animi sententia,le.sententiam.Item fo.ult.pa.i.ibi quibus quidem deprehensus le.deprehen sis.In tract.de Retho.fol.i.pa.ij. ibi dominatur affectu. tus,le.affectibus.Idem error accidit in.ij.fo,pa.i.& in tract.de. Dia.f.ij.pa.ij.admonuisse sufficiat.In tract.de Physica,fo.V.pa.i.circa finem,ibi proinde hæc omnia in tellectus,lege rectius intellectiuus, ut sit adiectiuũ pau lopost sequentis substantiui,appetitus. Fol.xi.pag.i.ibi hæc a Medicis,lege rectius ex Medicis.



ANTVERPIAE APVD SIMO-
nem Cocum, Anno M. D. XLI.





Rares. 2 vol. 15.